



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1869

De S. Balderico, Confessore, In Montefalconis In Agro Remensi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67915)

A ad necessitatem sustentandæ hujus vitæ alimur, sanctificari idem Apostolus (*Paulus*) dixit per verbum Dei et orationem, qua oramus utique nostra corpuscula refecturi.

c *Id publicæ penitentiaæ genus optime explicat Johannes Mabillon e Ms. codice miraculorum SS. Floriani et Florentii (a):* Consuetudine antiqua partibus interioris Franciæ usque hodie mos inolevit, ut quisquis propinquiorem sibi parentem gladio jugulaverit, et postea pœnitentia ductus, ad pontificem crimen admissi facinoris detulerit, ipso decernente pontifice, ex ipso gladio ferrei nexus componantur, et collum peccatoris venter atque brachia strictim innectantur ex ipsis ferreis vinculis; sicque de propria patria et solo patrio pellantur. Interim quousque divina pietas eadem vincula solvi præcipiat, primum Romæ, dehinc per diversa Sanctorum loca veniam criminis efflagitando, peregre proficisci cogitur. *Hæc eadem ad diem xxii Septembris in Vita S. Florentii ediderunt*

(a) Act. SS. Ord. S. Ben., sæc. II, Præf. n. 41, p. xxx. — (b) T. VI Sept., p. 431, n. 19. — (c) Pertz. Mon. Germ.,

nostris (b), monstrantque in Commentario prævio num. 5 et 6 hæc scripta fuisse sub initium sæculi noni; quæ epocha cum nostra historia optime concurrat.

d Farus seu Pharus lucerna erat orbicularis cum certo lucernarum aut candelarum numero cujusmodi passim in templis nostralibus adhuc visuntur: sic dicta, quod instar phari sit ejusque speciem referat. *Du Cange in Glossario verbo Pharus.*

e Ad hunc locum dicit *Ildephonsus von Arx (c):* Si conjecturæ locus dandus est, Isonem magistrum, quem medicinæ peritum fuisse scribit *Eckehardus IV*, hunc flebotomum existisse credendum. *Conjecturæ assentire non possum, sive cum ipso Ildephonso statuum Isonem anno 829 natum (d), sive cum Benedictinis scriptoribus Historiæ Franciæ literariæ (e) ortum ejus usque ad annum 841 differam; in utraque hypothesi junior fuit Iso, quam ut a Walafrido sub annum 849 defuncto citari poterit.*

f *Pertz habet:* turbo venti pulverem levavit et in oculos projecit.

t. II, p. 93. — (d) *Gesch. des Cant. S. Gallen*, t. I, p. 89. — (e) *Hist. lit. de la Fr.*, t. V, p. 399.

B

DE S. BALDERICO, CONFESSORE,

IN MONTEFALCONIS IN AGRO REMENSI.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Fasti sacri; monumenta historica, quæ de S. Balderico supersunt.

ANTE MEDIUM
SÆCULUM VII.

P lurima esse loca, quibus non secus ac oppido, ubi S. Baldericus potissimum colitur, nomen Monsfalconis adhæret, eruditum lectorem non latet; ut enim sileamus homonyma oppida et vicos, quæ vel in Italia, vel in Belgio, aut in Germania jacent, exhibet nobis Gallia sedecim Montefalconis; aut forte plures, nisi in Dictionario Geographico Gallia d'Expilly, et in Dictionario universali Geographico, Statistico et Historico Gallia, anno 1804 Parisiis excuso, exhausta fuerit series oppidorum et vicorum, quibus id nomen inditum fuit. Ex ingenti autem hac Montiumfalconis multitudine ortus est quorundam error, confundentium S. Baldericum cum S. Galderico seu Gauderico, in meridionali Gallia tractu multa pietate culto. Non est tamen cur hic latius recenseamus, qui sint Montefalconis, quibus male adscriberetur S. Balderici annua religio; cum satis sit indicasse, quis locus eum recte ut patronum suum et incolam sibi vindicet. Monsfalconis porro, qui, curante S. Balderico, ex silva cænobium et dein oppidum factum est, jacet in agro Remensi (dép^t de la Meuse) quinque leucis a Viroduno, totidem a Claromonte, sex fere a Fano Sanctæ Manchildis et duabus a Mosæ ripa: capiebat sæculo superiore exeunte focos circiter trecentos quadraginta. Plura de eo in citatis Dictionariis legere est, atque ipsi inferius explicabimus.

2 Nomen autem S. Balderici, quod apud veteres Germanos seu Teutones virum audacia spectabilem (Balde audaciam, ric divitem, spectabilem notante) designat, apud multos classicos martyrologos occurrit; at contra ingens est numerus Auctariorum, similiumve fastorum, in quibus memoratur. Imprimis Auctaria *Usuardi Lucoviense, Lubeco-Coloniense, Greveni, et Molani* produnt: In Montefalconis Beatissimi Balderici Confessoris, cujus merita crebris

Colitur S.
Baldericus
in Montefal-
conis in Cam-
pania Gal-
lica,

C ut ex per-
multis Fastis
sacris liquet,

miraculis declarantur, vel cujus sanctitati crebra miracula attestantur. *Canisiani Martyrologii scriptor hæc in germanicum idioma transtulit, reddendo Monsfalconis per Falckenberg; sed dubio num id nomen, quo designari solet Monsfalconis in Belgio (Fauquemont), recte competat oppido, de quo agitur. Martinus Weissbacher (a), male P. Girii Vitæ Sanctorum intelligens, confudit S. Baldericum Remensem cum S. Valderico, immo Galderico aut Gauderico, Canigonensi seu Mirapicensi, de quo ad præsentem diem inferius agimus. Martyrologium Parisiense cardinalis de Noailles meminit quoque Remis S. Balderici presbyteri, fratris S. Bovæ abbatissæ, et monasterii Montisfalconis versus Virodunum conditoris. Martyrologium Ebroicense, Menardus, Bucelinus, Saussayus, Wion, Schonleben in Anno Sancto, Ferrarius in Catalogo Universali, Antonius de Heredia in Vitæ Sanctorum Ordinis S. Benedicti, Trithemius (b) atque S. Balderici festum ad xvi Octobris referunt. Verumtamen Claudius Chastelain tritum deseruit iter, S. Baldericum in Martyrologio suo Universali annuntians ad diem viii Octobris; quod absque dubio a sagacissimo viro fuit factum, quoniam in Vita SS. Bovæ et Dodæ (c) repererat, earum fratrem et patruelum Baldericum die viii Octobris obiisse: in indice autem SS. apposuit Sancti nostri nomini eum non die tantum viii, sed et xii coli; qui novus error haustus videtur ex nævo typographico, quo in Historia Remensi Marloti perverse dicitur S. Baldericus Remis ultimum sui cursus diem clausisse xii Octobris, quo festum ejus celebratur. Vix est quod moneam Cl. V. de Saint-Allais, Castellani vestigia ubique prementem, in eisdem incidisse errores. Martyrologium vero Autisiodorensis, jussu Caroli de Caylus editum, ad diem vii Octobris S. Bal-*

(a) *Legendo der H. Patriner*, ad xvi Oct. — (b) *De Viris Ill. Ord. S. Bened.*, lib. III, cap. cliv. — (c) *Act. SS.*, t. III

Aprilis pag. 289.

dericum

A dericum laudat; in nota autem subdit: Ex Martyrologio D. Chastelain hac die; quæ annotatio citatiori calamo adscribenda videtur.

nec distinctus est a S. Valdrico Hispanorum.

3 Neque hic errorum meta figi potest, cum videam hac die annuntiari ab uno eodemque scriptore S. Baldricum monachum in Montefalconis et S. Valdricum Confessorem in territorio Rhemensi. Hæc Ferrarius, qui priorem memoriam se mutuatum esse testatur ex Martyrologio Monastico, ex additionibus Usuardi, editi a Molano, et ex Natalibus SS. Belgii ejusdem scriptoris; alteram vero annuntiationem a se acceptam esse scribit ex monumentis Montisfalconis diœcesis Remensis. At prorsus infidus est martyrologus ille in monumentis, kalendariis, tabulis, etc. citandis: quod generale de ejus accurate iudicium hic luculenter obtinet; quandoquidem Molanus in suis Natalibus omnino S. Balderici non meminit, et credibile non est a Ferrario visa fuisse Montisfalconis monumenta, in quibus præter hujus regionis usum Valdericus loco Baldericus scriptum esset; quin immo ex nescio quo Hispano libro illud hauserit: Hispani quippe, ut liquet ex Antonio de Heredia in *Vitis SS. Ordinis S. Benedicti, Valdericum, non Baldericum Sanctum nostrum nuncupant*; quæ litterarum mutandarum consuetudo satis eis communis est.

Vita S. Bovæ, male culpata

4 Monumenta historica, quæ antiquitas sua veneranda faciat, quina numero de S. Balderico latius agunt. Primum est Vita S. Wandregisili, secundum Vita SS. Bovæ et Dodæ, tertium Historia Remensis Flodoardi, quartum Ms. codex citatus a Calmeto, quintum demum Chronicum Alberici Trium Fontium; quarum scriptio auctoritatem expendere juvat. In præsentia tamen mitto de S. Wandregisili Vita disserere, cum § III aptior ad id recurret locus; hoc tantum annotandum videtur, constare ex ea, medio sæculo IX aut multo etiam tardius circumlatam fuisse S. Balderici Vitam, adeo ut in agro Rothomagensi probe cognosceretur; unde liquet eo potiori fide esse digna ea scripta, quæ cum illa adhuc legeretur, condita fuerunt. Porro secundum monumentum, seu Vitam SS. Bovæ et Dodæ, quam Henschenius noster ex codice Ms. Reginae Sueviæ edidit (a), nullius auctoritatis esse pronuntiat Mabillonius (b); quod iudicium num justo severius sit, expendendum est. Re quidem vera non omnino authentica est hæc scriptio et patentem errorem admisit; verumtamen secundum criticos regulas, quas ipse Mabillonius ejusque sodales secuti fuerunt, non minoris faciendæ est hæc Vita, quam reliqua de S. Balderico monumenta, ab eodem annalista citata et laudata. Audiantur scilicet quæ de opusculo suo præfatur anonymus scriptor (c): Nemo miretur si nos per multa periclitemur, actus SS. Bovæ atque Dodæ Virginum denuo retexentes, cum priorem librum qui de vita earum editus ad volumen usque magnum excreverat, neque viderimus, neque qui vel quæ eum se vidisse testaretur, valuerimus invenire. Verumtamen auditu didicimus a pluribus sororum, quod in eodem monasterio, in quo supradictæ Virgines requiescunt, armarium quoddam fuerit, in quo volumina librorum permulta exstant recondita simulque opum divitiarum maximarum; pallia scilicet holoserica... Inter quæ ipsa etiam liber ille, qui Beatarum actus Virginum continebat et ortus, diversarumque signa virtutum, flammis odibilibus perustus est. Initio vero Prologi tradit hanc a se susceptam fuisse provinciam, quoniam sæptus monitus fuerat a duobus monialibus monasterii S. Petri Superioris, Eva scilicet atque

C Gertrude, quæ earumdem Vitam Virginum ei palam fecerunt, a pluribus quæ obierunt relata sibi sororibus. Jam vero nonne evidens est tam facile servari potuisse per sexaginta circiter annos (nam plures non admittendi sunt) memoriam gestorum sanctæ cujusdam monasterii fundatricis et patronæ, quam quæ reperirentur in quibusdam privilegiis, in archivio custoditis, priusquam flammis abolerentur? Atqui Mabillonius laudat privilegia, quæ propter combustionem renovanda fuerant, cum in opere *De Re Diplomatica* (d) ita disserit: Alia confingendorum originalium causa fuit, ad supplementam veterum jacturam ex bellis, incendiis, aliisque modis. AT QUI RECTITUS SE GEREBANT, a principibus episcopis privilegia chartasque suas rescirci flagitabant, petito generali privilegio, in quo ecclesiæ aut monasterii generatim confirmabantur possessiones omnes, aut omnium possessionum juriumque accurata fiebat enumeratio. Et quidem ipse suis operibus plura istiusmodi specimina inseruit; atque adeo hominum memoriæ nimium fidens, hoc pacto probare studuit Solemniacense monasterium semper sub S. Benedicti regula militasse (e). Porro, cum prima criticus regula in eo sit, ut quis sibi constet (qua in re multus est P. Honoratus a S. Maria in suis de criticæ animadversionibus), fatendum est notam multo atriorem, quam par erat, a Mabillonio inustam fuisse Vitæ SS. Bovæ et Dodæ. Multo rectius egit D. Bouquet suive socii, partem hujus Vitæ inserentes Collectioni *Scriptorum Historiæ Galliæ*.

(a) Act. SS., t. III April, p. 283. — (b) Annales Ord. S. Benedicti ad annum 629, n. 10. — (c) Prolog., § 2. — (d) Lib. I, c. VII, n. 6. — (e) Cf. Annales Ord. S. Bened. ad an-

5 Verum si tempus, quo hæc Vita conscripta fuit, expenditur, palam fiet hanc Vitam vetustiorē esse scriptis Flodoardi, quem tamen Mabillonius unicum ducem sibi admittit, cum S. Balderici gesta prosequitur. Composita quippe fuit hæc Vita, cum in monasterio S. Petri Superiori Remensi S. Balderici Reliquiæ una cum Reliquiis SS. Bovæ et Dodæ servarentur; quod testatur ipse anonymus (f) his verbis: Hæc igitur de sanctissimis pignoribus, Sancto videlicet Balderico, et ejus sorore Beatissima Bova abbatissa, et eorum dulcissima nepte castissima videlicet Doda, templo Dei vivi, a sororibus ejusdem monasterii, in quo ipsa jacent, nobis relata. At anno 882, cum Normanni provinciam Remensem ingressi sunt, jam pridem alibi servabantur S. Balderici pignora, ut inferius ab ipso Flodoardo explicabitur. Unde liquet hanc scriptio- nem exeunte sæculo IX antiquiorem esse. Nescio tamen an vetitum foret, eam ad sæculum VIII referre, cum anonymus biographus scribat (g): Jam omnino opificium illud (intelligit monasterium S. Petri Superioris, ab ipso S. Balderico exstructum) pene cerni destructum, et (h) ecclesiam Beatæ Dei Genitricis et perpetuæ Virginis Mariæ extra muros Remorum civitatis, (in qua ecclesia S. Baldericus primum sepultus fuerat), a fundamentis propter vetustatem annorum et maxime ingruentiam paganorum penitus cerni destructam: quæ sane non ita præ vetustate collabi et destrui potuere, nisi unum alterumque sæculum interfuisse supponatur. Qui vero hic indicantur pagani, Normanni esse non possunt, siquidem, ut modo dictum fuit, advenerunt illi tantum postquam conscripta fuisset hæc SS. Bovæ et Dodæ Vita: de ea vero hæctenus.

6 Historia Ecclesiæ Remensis, sæculo circiter post memoratam SS. Bovæ et Dodæ Vitam a Flodoardo conscripta, ubique fere huic consonat; et quidem ubi ab ea discedit, persuasum mihi est, plerumque non Anonymum, sed ipsum cæterum laudatissimum

et medio forte sæculo IX, priore combusta, scripta, plura de S. Balderico meminit.

Recensentur alti scriptores; sed Vita primitiva interit.

num 866, § 56, et Acta SS. ad diem IV Octob., p. 482 et seqq. — (f) Vit. SS. Bovæ et Dodæ, c. v, n. 24. — (g) Ibid., c. I, n. 5. — (h) Ibid., c. IV, n. 20.

tissimum

A *tissimum historiographum errare, quod oscitanter ausus est Anonymi opusculo. Insuper vix dubium est, quin ei quoque præluceat Vita S. Balderici, cognita, ut diximus, in agro Rothomagensi. Quæ autem de S. Balderico commemorat, rediguntur fere ad Reliquiarum translationes et ad miracula; quorum relationem apud Falcomontanos existisse docet ipsemet. Et quidem Calmetus in Historia Lotharingæ (a) codicem Falcomontensem Ms., ad S. Balderici gesta pertinentem, in testimonium adducit; verum vix aliquid ex eo refert, quod a Flodoardo non memoretur. Litteras dedimus in hunc tractum, ut hujus codicis apographum nobis procuraretur; at cum hoc opusculum anno 1793 flammis assumptum fuisse tradatur, inutilis fuit hæc nostra cura. Quintum opusculum, in quo de S. Balderico agit, seu Chronicon Alberici Trium Fontium, editum est a Leibnitzio in tomo II Accessionum Historicarum; at monet Albericus se Flodoardi scriptis usum fuisse. Recentiores scriptores plurimi de S. Balderico egerunt; verum cum brevem tantum synopsis de S. Balderici gestis conscripserint, non est quod plurimum nos morentur. De duobus tantum dicam: Marlotus in Historia Remensi (b) adducit ex quodam S. Balderici biographo adjuncta quædam de adventu Reliquiarum S. Germani in Montemfalconis tempore Caroli Magni; sed quis ille auctor sit, nusquam indicat. Suspicio eum esse P. F. Dominicum a Jesu, Ordinis Carmelitani; in cujus opere, Monarchia Sancta, etc., e latino in gallicum idioma verso a Modesto de S. Amabili, Vitam S. Balderici reperiri, docet Bibliotheca Gallia P. Le-long; quod opus pulchrum sibi præfixum habere titulum, sed parum valere pronuntiat Langlet du Fresnoy, severus, immo sæpe iniquus Religiosorum criticus. Quidquid vero sit de hujus operis pretio, facile mihi persuadeo, nihil in eo occurrere, quod Mabillonem, Cointium, Calmetum aliosve fugerit, aut quod notatum non fuerit a Marlotto, qui Monarchia Sancta usus videtur. Ex epistola Falcomontani canonici, quem inferius pluribus laudabo, nobis innotuit anno 1715 ex licentia archiepiscopi Remensis typis subjectam fuisse aliquam S. Balderici Vitam, canonicis et paræcianis usui futuram; quæ quoniam vix quidquam doceret, quod Officio Ecclesiastico deesset, ad nos non fuit transmissa. His porro in historicis fontes præmissis animadversionibus, ad ipsa S. Balderici gesta gradum facio.*

B

C

§ II. Synopsis vitæ; quo tempore monasterium S. Petri Remense a S. Balderico conditum sit; tempus natale S. Balderici; est hic Sanctus, non secus ac aliquot alii, filius Sigiberti I regis.

Ex Breviario Remensi anni 1630 paucis exponitur S. Balderici gesta.

U^t tempus, quo S. Baldericus vixerit, statui queat, paucis præmittenda sunt ejus gesta; quæ malo in gratiam rerum liturgicarum indagatorum ex Breviario Remensi anni 1630, ubi tertia lectio propria est, describere, quam synopsis a meipso confectam exhibere. Baldericus presbyter, cum sore sua Bova, regali genere orti sunt, regis Sigiberti scilicet liberi. Remis monasterii puellarum, quod Superius a loci situ nuncupatur, in honore Sanctæ Mariæ vel Sancti Petri construxerunt, cujus postmodum Bova facta est abbatisa. Constructo monasterio, Baldericus secus-

sit in locum quemdam, quem Montemfalconis dicunt, densis opertum et horridum sylvis: quas ipse succidens, proprio sibi labore in illo condidit habitaculum. Ubi et diu Deo devote et quiete servivit, et nonnullis piis et Deum timentibus, et eidem Balderico facultates suas conferentibus, cœnobium sub honore Beati Germani ædificavit: quibus peractis, tandem Remos ad sororem suam Bovam reversus, ibidem ultimum sui cursus diem clausit, et sepultus non modico tempore requievit. Cujus corpus tandem ad dictum Sancti Germani cœnobium translatum est. Collecta hæc sunt ex Flodoardo; et si excipias loca quædam, de quibus dicturi sumus, extra controversiam ponenda sunt.

8 Ex recitatis liquet ætatem S. Balderici nosci posse, si compertum fuerit, quo ævo monasterium S. Petri Superius conditum sit: porro certum est, id jam existisse ante annum 596, quo Childebertus II, Austrasiæ et Burgundiæ rex, supremum diem obiit. Etenim Flodoardus (c) de Romulfo, Remensi episcopo, hæc inter alia multa testatur: Villam vero Lautiniacum super fluvium Caltajonem contulit monasterio puellarum Remis in honore S. Petri constructo, quam villam dato pretio se memorat comparasse. Cujus adhuc testamenti pagina in archivo Remensis Ecclesiæ reservatur, cum auctoritate Childeberti regis, qua petitus idem rex a præfato præsule per Sonnatium diaconem, virum venerabilem (et postmodum episcopum Remensem) hoc testamentum confirmare decrevit. Imo ex sententia Cointii tribus saltem annis id tempus antevortendum esset, quandoquidem ipse (d) mortem Romulfi anno 593 exeunti alligat; at contra Gallia Christianæ editores (e) ejus vitæ certum terminum non reperiunt, nisi anno 613, quo Sonnatius ejus successor res quasdam commutavit cum regina Brunichildi, quæ hoc anno mortua est. Sed malo certis stare, quam digladiari pro re nostra de tribus dubiis annis.

9 Verum Marlotus (f) affirmat ambigi posse an monasterium, cujus in prædicto testamento fit mentio, vetus illud sit, cui Susanna præfuit tempore Sancti Remigii, et de quo Flodoardus in sua egit historia (g). Quod Marloti dubium sic impugnat Mabillonius in Annalibus sui Ordinis (h): Scio quibusdam videri hoc esse monasterium, quod Susanna abbatisa, cujus in Actis Sancti Theodorici abbatis mentio est, Beati Remigii pontificatu rexerit; sed nullo fundamento: imo vero contrarium elicitur ex testamento Sancti Remigii, qui cum omnibus, quæ tunc apud Remos erant, ecclesiis aliquid conferat, nullam prædicti monasterii mentionem facit; quod certe subsequentes post Romulfum antistites, Sonnatius, Lando et Nivardus, quorum testamenta Flodoardus laudat, non prætermiserunt. Ex quo intelligitur, Superius Sancti Petri monasterium, aut pontificatu Romulfi, aut paulo ante, id est sub finem sæculi sexti, conditum fuisse. Verum vehementer dubito, an hæc ratiocinatio placitura sit non his tantum, qui damnant testamentum S. Remigii, in quo exstant ex donationes, ad quas alludit Mabillonius; sed etiam illis, qui id approbant, cum mere negativum sit. Me judice, res confecta foret, si constaret tempore Romulfi unum tantum S. Petri monasterium Remis existisse, atque illud idem esse ac monasterium S. Petri, deinceps dictum Superius.

10 Et quidem admittendum est vel in memorato Romulfi testamento agi de monasterio S. Petri Superiore; vel, si de altero, hoc alterum destructum

Quoniam monasterium S. Petri Remense ante annum 596 a S. Balderico ædificatum jam erat, ut ex Romulfi testamento,

quod de hoc monasterio et non de alio S. Petri parthenone agit, comprobatur,

certe natus est S. Baldericus ante annum 570.

(a) T. I, p. 466. — (b) T. I, p. 262. — (c) Hist. Remens., lib. II, cap. IV. — (d) Ann. Eccl. Francor., t. II, p. 406. —

(e) T. IX, col. 18. — (f) Hist. Remens., t. I, lib. II, c. xxxiii, p. 254. — (g) Ibid., lib. I, c. xxiv. — (h) Ad annum 629, § 10.

A fuisse, priusquam *Sonnatus*, qui anno 631 aut certe ante annum 633 obiit (a), testamentum suum condidisset. Ea his enim, quæ inferius de *S. Wandregesilo* disseremus, satis superque liquebit, monasterium *S. Petri Superius* ante annum 630 conditum fuisse: porro *Sonnatus* in testamento suo, quod ex *Flodoardo* (b) notum est, ad basilicam *S. Petri* in civitate auri solidos III largitus est. Jam vero basilicam hoc loco monasterium significare, luculenter patet ex ipso testamento, ubi eadem vox eodem sensu sapius evidentissime usurpatur: præterea ostendit *Valesius* in peculiari de *Basilicis* opusculo frequentissime olim hoc nomen monasteriorum ecclesiis inditum fuisse. His positis, quæro an credibile sit, testamenti codicillum a quopiam confectum iri, quin in eo determinaretur utrius monasterio fieret donatio, et mere diceretur basilica *S. Petri*, quæ est in civitate, cum duæ basilicæ *S. Petri* in civitate conspicerentur? Liqueat itaque *Sonnati* tempore unum tantum *S. Petri* monasterium existisse *Remis*; et proinde præmissa propositio tamquam certa habenda est. At prorsus a verisimilitudine aversum est, monasterium, quod satis floret, ut ei *Romulfus* testamento suo dedisset villam, jam tempore sui successoris deletum fuisse. Quapropter superest, ut statuatur *S. Petri* monasterium *Superius* ante annum 596 ædificatum fuisse. Ne vero quis objiciat *S. Nivardum* similiter non distinguere in suo testamento monasterium *S. Petri Superius* a monasterio *S. Petri Inferiori*, satis est monuisse, non tantum, apposito abbatissæ nomine, id sufficienter fuisse indicatum, verum etiam monasterium *S. Petri Inferius* tempore *S. Nivardi* nondum conditum fuisse, ut aptiori loco adversus *Gallia Christianæ* editores manifestum apparebit. Quæ ut claudam ad *S. Baldericum* regrediens, conclusio esto *S. Baldericum* natum fuisse ante annum 570, quandoquidem supponendus est saltem viginti quinque annos natus, cum ante annum 596 monasterium *S. Petri* condidit, eique præfecit sororem suam *Bovam*, aut potius, si usus ferret, *Bobam*.

Refelluntur errores plures

B 11 At si quæritur quinam *S. Baldericus*, ejusque soror *S. Bova*, et mater aut pater ejus neptis *S. Doda*, qui *Sigiberti* regis liberi dicuntur, fuerint; denuo non una atque eadem sententia obviat. Primum apud plures fuit factum persuasumque *S. Baldericum* filium fuisse *Sigiberti III*, *Sancti agnominati*; *Antonius de Heredia* in hac opinione versatus est, et ante eum alii plures, de quibus *Mabillonius* in *Annalibus Benedictinis* (c). At toto suo pondere ruit is sentiendi modus; quoniam, *Fredegario* teste (d), anno VIII regni sui (anno Christi 629) *Dagobertus*... *Ragentrudem* stratui suo adseivit, de qua eo anno habuit filium nomine *Sigibertum*. Et quidem cum hic *Sigibertus III* hujus nominis sit, fieri omnino non potuit, ut, qui anno 629 natus est, liberos habuerit, qui anno 596 monasteria jam ædificassent. Ridicula itaque est opinio eorum, qui nostrum *Baldericum* eundem faciunt ac *Dagobertum II* ejusque fratrem, filios *Sigiberti III*. Qua de re vide *Marlotum* (e), *Historiam abbatissæ regalis S. Audoeni Rothomagensis* (f) et *Historiam Francorum Valesii* (g). *Breviarium Remense* anni 1630, superius citatum, duplicem prodit sententiam: in lectione quippe de *S. Balderico*, dicuntur hic *Sanctus* ejusque soror *Bova Sigiberti filii*; in lectionibus vero de *S. Bova* ad xxiv Aprilis, *S. Bova* a *Sigiberto* adoptata perhibetur; cujus assertionis *Saussayus* videtur inventor fuisse et *Cointius* adstipulator: jam pridem a *Remensibus* sublata fuit hæc

(a) *Gallia Christ.*, t. IX, col. 20. — (b) *Lib. II*, cap. v. — (c) *Ad annum 629*, § 10. — (d) *Chronica*, cap. LIX. — (e) *Hist. Remens.*, t. I, lib. II, cap. xxxiii. — (f) *Lib. II*, cap. II.

contradictio, ut colligo ex *Breviario* anni 1759, in quo non sine adjecto dubio æstimantur regis *Sigiberti* liberi. Merito a contradictione cautum est: et e duobus dubiis electum est illud, quod quibusdam saltem testimoniis fulcitur; rejectum alterum, quod verisimiliter sola *Saussayi* auctoritate, tot fabularum inventoris et propagatoris, nitebatur.

12 Tertiam sententiam proponit *Henschenius* in annotatis ad *Vitam SS. Bovæ et Doda* (h). Postquam enim *Flodoardi* testimonium et *Breviarium Remense* citavit: Quidni, inquit, potius (*S. Bova*) ejus (*S. Sigiberti*) neptis cum *S. Balderico*, ex aliqua filia *Dagoberti I* nata? Responso esto: quoniam hæc explicandi ratio non tantum gratuita est, sed pugnat tum cum existentibus monumentis historicis, tum cum *chronotaxi*, *S. Balderici gestis* adherenti. Nam ut alia multa taceam, ipse *Dagobertus I*, *Meroveo* fratre suo natu minor, ortus non censendus est ante annum 600, quo ejus pater *Clotarius II* vix sextum decimum ætatis annum attigerat: dimidio itaque saltem sæculo erravit *Henschenius*. Hoc ergo pacto jam præcisos esse arbitror aliquot errores, quos de *S. Balderici genere vulgatos* norim. *Marlotus* (i) atque *Joannès Mabillonius* in *Annalibus* (k) alius sententias aperiant; priorem audiamus *Marlotum*:

de patre SS. Balderici et Bovæ et parentum S. Doda;

13 Inquirendum superest quis tandem *Balderici* et *Bovæ* parens fuerit. *Sigibertus* primus, vel secundus: et hic quidem licet brevis potentatus, si prolem tamen ex uxore reliquit, haud inepte censendus est *Balderici*, et *Bovæ* pater; fieri enim potest ob fortunæ casum, subversamque a *Chlotario*, *Brunichildis* odio, familiam, ut infantuli a quodam in monasteria detrusi fuerint: at cum historia id taceat, imo ex his habeatur spuriam *Theodorici* regis penitus extinctam prosapiam, et hic *Sigibertus Theodorici* posterioris filius impubis obierit, hæret hic animus, nec quicquam pro hac opinione occurrit. Et re quidem vera *Fredegarius* cap. XXI testis est, anno VI regni *Theuderici* (qui annus 601 Christi est) huic regi de concubina natum esse filium, nomine *Sigobertum*, qui anno 613, ut idem cap. XLII testatur, cum fratribus interemptus est: non potuerunt itaque *Sigiberto II* tres nati esse liberi.

de eadem re exponuntur sententia

14 Unde probabilius dici posset, sic pergit *Marlotus*, prædictum *Baldericum*, et *Bovam* ex *Sigiberto I* prodiisse. Refert enim *Gregorius Turon.* lib. IV cap. XLI ad *Sigibertum*, *Parisios* regressum a *Rotomago*, *Brunichildem* conjugem cum filiis venisse, et lib. V, cap. I (prædicto *Sigiberto* interfecto apud *Victoriacum*) *Brunichildem* reginam, *Parisii* cum filiis agentem ac vehementer conturbatam, a *Childerico* pulsam in exilium, filias vero *Meldis* teneri præcepisse, ac præter *Inguindim* et *Chlodosindam*, aliam fuisse quæ historicos forsitan præterierit, latueritque alicubi in *Austrasia* cum *Balderico*, donec pacatis rebus, velut e latebris emergentes primo *Remis* monasterium juxta portam *Basilicarem* extruxerint, aliud in loco qui *Monsfalconis* dicitur ab eventu, quem *Frodoardus* explicat. Sic *Marlotus*. Dubitare mavult *Mabillonius* his verbis: Si *Baldericus* et *Bova* patrem habuere *Sigibertum* regem; id non de alio, quam de *Sigiberto Chlotarii senioris* filio censi potest. Sane *Ordericus Vitalis* *Bovam* Deo sacram virginem, *Sigiberti* ac *Brunichildis* liberis annumerat; quamquam illud obstat, quod neque a *Gregorio Turonensi* episcopo, nec a quovis illorum temporum auctore inter hujus

Marloti et Mabillonii.

F

Sigiberti

(g) *L. XX*, p. 187 et seqq. — (h) *Act. SS.*, t. III Aprilis, p. 286. — (i) *Hist. Remens.*, t. I, lib. II, cap. xxxii, p. 255 et seq. — (k) *Ad annum 629*, n. 10.

A Sigiberti liberos censeantur. An vero hujus Sigiberti naturales proles fuerint, an ex alio regia stirpis Sigiberto nati, aliis divinare per nos licet. Hæc ille. Atque hæc Mabillonii dicta non nihil urgeri possunt ex carmine S. Venantii Fortunati (a), quod tum in Gallia Christiana (b), tum in Bibliotheca maxima Patrum Lugudunensi (c) legitur, quodque conditum fuit, cum Plato archidiaconus anno 592 episcopus Pictavensis sacraus est; in eo occurrit sequens distichon:

Floreat arce decens rex Childeburtus in orbe
Cum genitis, populo, matre, sorore, jugo.

Qui autem hic laudantur geniti, sunt Theodobertus II et Theodericus II, mater Brunichildis, jugum seu uxor Faileuba, soror vero unica Chlodesuinda; nam Ingundis, altera soror, anno 585 in Africa eaul obierat. Unde liquet, si aliae sorores fuerunt Childeberto II, eas nothas aut spurias fuisse, et proinde Marloti dicta proveniunt rueri.

15 At, inquiunt, Sigiberto neque nothos liberos fuisse, arguit S. Gregorii Turonensis, Fredegarii aliorumque silentium; quam rem penitus inspicimus oportet. Jonas, monachus Bobiensis, discipulus S. Columbani, laudatissimusque biographus, in Vita S. Columbani, quæ excusa est in sæculo II Benedictino (d), hæc narrat: B. Columbanus... a Leopario illius urbis (Turonum) invitatur ad esum: ire non abnuitt... Tunc unus e convivis Chrodovaldus nomine, qui AMITAM THEODEBERTI REGIS in conjugium habebat, regi tamen Theodorico fidelis erat, viro Dei humili voce respondit: Si melius esset lacte potari quam absynthio? Cui vir Dei: Cognosco, ait, te regis Theodorici fœderis jura servare velle. At ille fatetur se fœdus fidei promississe, et quandiu valeret observaret. Si regis, inquit, Theodorici junctus es fœderi, amico tuo et domino lætus eris a me legatus directus. Hæc ergo aurius ejus infer, et ipsum et suos liberos intra triennii esse circulum delendos, radicatusque stirpem ejus Dominum eradicaturum... Quod postmodum omnes Gallia nationes sensere impletum. Talia perhibet Jonas: quæ propheta cum anno 613 adimpleta fuerit, sequitur existisse circa annum 610 amitam Theodoberti II, seu filiam Sigiberti I, diversam a Chlodesuinda, jam nuptam Chrodovaldo, neque tamen nominatam a Gregorio Turonensi et Fredegario, et exclusam e legitimis Sigiberti liberis Fortunati disticho. Qui vero censeat obijci suam hanc amitam filiam esse Brunichildis, ante suam in Gallias adventum forte nuptæ, legat is Fortunatum, qui, in carmine (e) de nuptiis Sigiberti regis et Brunichildis reginæ, hanc ter quaterve a sua virginitate laudat; satis fuerit hos excerptisse versiculos:

Sigibertus amans Brunichildæ carpitur igne,
Quæ placet apta toro, maturis nubilis annis,
Virginitas in flore tumens...
Unde consequens est Theodoberti amitam filiam fuisse Sigiberti, non Brunichildis.

16 Ob recitatos num. 14 Venantii Fortunati versus eam non legitimo thoro a Sigiberto procreatam fuisse jam dictum est. Aliunde summe probabile est ex scriptore coævo plures nothos Sigiberto natos esse ante suam cum Brunichilde connubium. Hic scilicet anno 535 natus, et anno 566 tantum matrimonium iniens, et proinde 31 annos præter omnem morem regum Francorum, anno 14 ætatis sapius uxorem ducentium, in colibatu transgressus, a laudato S. Venantio Fortunato, plurimum in aula regia versato, atque hujusmodi rerum teste maxime idoneo, his celebratur carminibus:

Sigibertus ovans ad gaudia nostra creatus
Vota facit, QUI NUNC ALIENO LIBER AMORE,
Vincula chara subit; cujus, moderante juventa,
Connubium mens casta petit, LASCIVA RETUNDENS
AD JUGA CONFUGIT; cui nil sua surripit ætas,
Corde pudicus agens, rector tot gentibus unus,
ET SIBI FRÆNA DEDIT; sed quod natura requirit.
Lege maritali AMPLEXU EST CONTENTUS IN UNO.

Hæc Fortunatus in citato epithalamio. Quis itaque mirabitur, si Sigiberti vulgo memoratis legitimis liberis tres saltem nothos adjiciendos esse arbitramur? Quin immo, si prorsus historicos laterent, hæc Fortunati carmina tam clara sunt, ut ob hæc ipsa excogilandis forent. His positus, proferendæ sunt genealogicæ tabulæ.

17 Theodoberti amita, uxor Chrodovaldi, ex citata S. Columbani Vita extra controversiam jam est. De S. Bova autem hæc ex non ita diuturna monialium traditione refert anonymus ejus biographus (f): Exstitit... rege Sigiberto patre progenita, qui fuit nobilissimorum oriundus Cæsarum prosapia. Passim vero in eadem Vita dicitur S. Baldericus frater S. Bovæ; dives in ea apparet, et major natu: unde colligitur eum non tantum uterinum S. Bovæ fratrem fuisse, verum etiam ex filiis fuisse ejusdem Sigiberti. Quod confirmatur ex eo, quod ab eodem Anonymo (g) non modo frater, sed et germanus S. Bovæ dicitur; quæ vox identitatem utriusque parentis etiam illo ævo implicabat, ut liquet ex his Hucbaldi, in Vita S. Rictrudis, verbis: Habuit autem Dagobertus fratrem Aribertum (Charibertum) non tamen germanum, quoniam alia matre editus erat. Deinde Flodoardus (h) hæc a se apud alios scriptores fuisse testatur: S. Baldericus presbyter cum sorore sua Bova... regali genere exorti fuisse referuntur, patre scilicet Sigiberto rege, habentes neptem, nomine Dodam, castissimam puellam, quæ desponsata fuisse fertur cuidam magnati ejusdem regis Sigiberti. De hac nepte inferius. Tertius testis est Ordericus Vitalis a Mabillonio, ut num. 14 exhibui, citatus; atque hic cum Bovam tantum memoret, Baldericum omittat, non descripsisse videtur hoc loco Flodoardum, sed nescio quo alio monumento usus esse. Quod vero S. Bovam dicit Brunichildis filiam fuisse, error facilis fuit, quandoquidem unam Brunichildem Sigiberti legitimam uxorem noverat. Mitto referre testimonium Alberici Trium Fontium, quod in Accessionibus Historicis Leibnitii (i) exstat, quoniam pro more suo ipse Albericus testatur se sua hoc loco mutatum esse ex Historia Remensi. Quod hic loci denuo a lectore animadversum velim, Flodoardi temporibus exstabat S. Balderici latior Vita, ut sæpe monui.

18 Ut cum anonymo SS. Bovæ et Dodæ biographo pergam, superest de ingenuitate nobilis Dodæ, neptis scilicet Sanctorum Balderici et Bovæ, calentis propositi abbatissæ, aliqua suggeramus. Hæc Beata siquidem Doda nobilissima virgo, ab infantia dicitur desponsata cuidam ingenuissimo et sagacissimo viro, regia stirpe (ut fertur) progenito, quemadmodum et ipsa regali oriunda exstiterat prosapia. Sed interim ut diligenter educaretur, suæ traditur prænotatæ amitæ Bovæ abbatissæ ab avunculo Sanctissimo Balderico. Fuerint hæc S. Doda filia prædictæ amitæ Theodoberti, non habeo unde edisseram: quod si non fuerit, quatuor saltem nothi liberi assignandi sunt Sigiberto, videlicet: S. Baldericus, S. Bova, amita Theodoberti seu uxor Chrodovaldi, et mater S. Dodæ, si stricto sensu accipitur appellatio avunculus

D

quos inter
Chrodovaldi
uxor, S. Bal-
dericus, S.
Bovæ,

E

F

et forte mater
aut pater S.
Dodæ:

S.

Probatum Sig-
iberto præ-
ter Childe-
bertum II,
Clodesuin-
dam, et In-
gundim,
B

* lege virgi-
nitate

alios liberos
fuisse, sed
nothos;

(a) Lib. x. carm. 17. — (b) T. II. col. 1149. — (c) T. X. p. 519. — (d) p. 22 et seq. n. 42 et seq. — (e) Bibl. Patr. t. X. p. 558, lib. vi. carm. ii. — (f) Act. SS. ad xxiv April.

p. 284. — (g) Ibid., cap. ii. n. 9. — (h) Hist. Remens., lib. iv. cap. xxxviii. — (i) p. 44.

A S. Balderico data; sin autem vox avunculus vocis patruus locum occupat, pater S. Dodæ. Atque hæc eo securius amplectenda sunt, quod constat, præluxisse Flodoardo, de hac Sancta agenti, alia quoque documenta quam ipsam ejus Vitam: scribit scilicet Anonymus S. Dodam, velatam religionis peplo, sponso furibundo præsentatam fuisse; qui cum templum castitatis per vim ad se traxisset, manus quæ castam attingerat vestem, dirigit. Mox vero pristinae sanitati redditus, quicquid chartis ante assignatum exstiterat sponsalibus sui patrimonii idcirco Christo concedit Deo. Contulit siquidem eidem monasterio hæc supradicta, et plura alia donaria, quæ adhuc eadem retinet ecclesia, quæ inter Noviantus, villa pulcherrima, et Vallis-monasterii potestas scilicet magna. Hæc ille (a). Flodoardus (b) autem prorsus alia hac de re acceperat; apud eum nempe sponsus sponsam innitens eandem corripere, ascenso equo, dum id conatur quoque modo adimplere, furente lapsus ab equo, fractis cervicibus, traditur interiisse. Non est cur hic lectori Anonymi narrationem comprobem; id unum notandum Flodoardum egisse de his Sanctis ex aliis monumentis quam ex Vita SS. Bovæ et Dodæ; quæ testimoniorum pluralitas validum fulcimentum est in præsentis questione.

B Virisimiliter S. Baldericus natus est inter annum 560 et 566.

19 Quamobrem historice certum censendum est, S. Baldericum cum germanis supra enumeratis computandum esse inter liberos Sigiberti I: quod prorsus consonat cum his, quæ num. 8 et sequentibus de tempore, quo monasterium S. Petri Superius a S. Balderico conditum fuit, diximus. Illic quippe deduximus S. Baldericum cum sororibus natum esse saltem ante annum 570; at ex his quæ num. 16 ex Fortunato et tempore Sigiberti matrimonii, anno 566 initi, collegimus, quatuor aliis saltem annis ejus ortus antevendendus est; atque hæc stricta sunt. Cum autem S. Baldericus ob patrimonii sui situm non procul a Remis natus esse atque ante vitam suam cœnobiticam illic habitasse videatur, ejus ortus verisimiliter includendus est inter memoratum annum 566 et annum 561, quo primum Sigibertus sedem Remensem, teste Gregorio Turonensi (c), habuit, Austriæ caput; apud quam urbem, ut monet Ruinartius in nota ad hunc locum, certum est Sigibertum habuisse regiam. Qua admissa chronotaxi, reliqua S. Balderici gesta sine negotio dilucidabuntur.

C

§ III. S. Baldericus exstruit Remis sorori suæ S. Bovæ monasterium, ad quod pertinebat templum S. Mariæ extra muros urbis; condit Falcemontanum monasterium, ubi discipulum habet S. Wandregisilum, uti, excussis hujus Sancti Actis, probatur; nova chronotaxis gestorum SS. Balderici et Bovæ textitur; moritur S. Baldericus.

S. Baldericus ante monasterii Remensis ædificationem

Flodoardus in Historia Remensi (d) hæc narrat: Plures denique apud nos quondam Sanctorum fuere basilicæ, sed et monasteria infra vel circa Remensem hanc urbem, quæ modo non haberi probatur. Duo tamen adhuc supersunt intra urbem puellarum monasteria: quorum unum

(a) Act. SS. ad xxiv April. Vit. SS. Bovæ et Dodæ, cap. xi, b. 10 et 41. (b) Lib. iv, cap. xxxviii. — (c) Hist. Franc., lib. iv, cap. xxii. — (d) Lib. iv, cap. xxxviii. — (e) Hist.

(quod Superius a situ scilicet loci nuncupatur) S. Baldericus presbyter cum sorore sua Bova, ejusdem cœnobii postmodum abbatissa, in honore Sanctæ Mariæ vel Sancti Petri construxisse traditur... Beata denique Doda in castitatis proposito permanens, amite suæ in ejusdem monasterii successit regimine. Quæ præceptum quoque immunitatis, quod adhuc apud nos habetur, a principe Pippone eidem postmodum obtinuit fieri cœnobio. Quarum corpora in ecclesia extra muros urbis, ubi primum puellarum fuerat monasterium, tumulata diu quieverunt, donec postmodum, revelationibus quibusdam elevata, et ad hanc novam sunt ecclesiam perlata, ibidem venerabiliter collocata, continua honorificentur inibi Deo famulantium reverentia puellarum. Probant hæc Marlotus (e) et Mabillonius (f). Verum ex SS. Bovæ et Dodæ biographo nonnulla animadvertenda videntur de hoc extra muros monasterio.

21 Hic enim cum pluribus explicuit (g) S. Bovæ consilium de servanda virginitate, sic pergit (h): Quo sororis castissimo Baldericus cognito desiderio, INFRA REMORUM MUROS non longe a basilicarum porta, pretiosum condidit monasterium: de cujus mirabili structura, quia ad alia prope ramus, vel quia nostris temporibus jam omnino opificium illud pene cernitur destructum, omittimus in præsentiarum disserere; sed suo iterabimus in loco, prius enarratis quæ pertinent negotium. Quo igitur monasterio ad unguem ædificato, et multis ornamentis ditato, gregeque sanctarum Virginum inibi collocato, et quæ necessaria intrinsecus et extrinsecus videbantur diligenter explicitis, prædictus vir Baldericus sororem suam cum aliis locum incolere fecit puellis. Verum Ms. codex, unde Henschenius hanc Vitam edidit, hujusmodi conditionis erat, ut ante cap. iv aut num. 15 multa deessent: quod etiam illic annotatum erat, tamquam id culpa descriptoris contigisset. Hanc autem lacunam implendam his ipsis, quæ suo iteranda in loco promittuntur, colligitur ex indicibus titularum, inter quos hic habetur: Qualiter S. Baldericus monasterium, in quo sororem suam, Sanctam videlicet Bovam, abbatissam constituit, honorabiliter ædificaverit, et patrimonii sui hæreditatibus ditaverit. Verum ex modo recitatis, et ex testamentis Romulfi et Somnati jam adductis et ex testamento Landonis inferius citando, satis superque constat monasterium puellarum S. Petri semper fuisse infra seu intra non autem extra muros Remorum.

22 Suspiciari licet unde prodierit Flodoardi assertio extra muros urbis... primum puellarum fuisse monasterium; et hæc altera, hoc cœnobium in honore Sanctæ Mariæ vel Sancti Petri constructum fuisse. Audi scilicet Anonymum sexto numero post lacunam (quod ob dicta notandum est) hæc disserentem: Dehinc venerabilis Pater honorificenter sepulturæ traditur, in ecclesia Beatæ Dei Genitricis et perpetuæ Virginis Mariæ, extra muros Remorum civitatis... Quæ ecclesia, quia a fundamentis propter vetustatem annorum, et maxime ingruentiam paganorum penitus cernitur destructa, omisimus de ea prolixius loqui. Unde manifestum fit ecclesiam B. Mariæ, non monasterium B. Mariæ existitisse; illic, non in civitate sepultum esse S. Baldericum; illi datum fuisse titulum B. Mariæ, non monasterio intra muros exstructo, quod in omnibus testamentis, de quibus sermo fuit, semper cum S. Petri nomine, numquam cum

non exstruit monasterium S. Mariæ extra Remos;

E

verum Remensis parthenon possidebat extra muros ecclesiam S. Mariæ.

F

Remens., t. I, lib. ii, cap. xxxiii, p. 354 et seq. — (f) Annal. Bened. ad annum 629, § 10 et seq. — (g) Cap. i, n. 4. — (h) Ibid., n. 5.

nomine

A nomine B. Mariæ occurrit. Præterea in opere P. Guyeti Societatis Jesu, Heortologia appellato, frustra inquirens ecclesiam aut monasterium, cui vagus patronus aut titulus sit, qualis disjunctivus ille Sancta Maria vel Sanctus Petrus; et quidem cum vere plures patroni sunt, sumuntur per modum unius. Confundendo itaque Anonymi aut alterius dicta, consarcinavit Flodoardus suam narrationem. Fieri quoque posset, ut hæc admiserit Flodoardus, quoniam reditus ecclesiæ B. Mariæ adhuc recipiebantur a monialibus S. Petri Superioris; et propterea festum patronale servabatur: qua de re vide Guyetum (a).

S. Baldericus auctor est S. Bovæ, ut admittat abbatiale munus, et erga S. Dodam tutoris partes agere videtur;

23 Porro postquam Remense S. Petri monasterium ædificatum esset, et aliquandiu cum suis sociis S. Bovæ illic vixisset, ut Anonymus (b) testis est, sorores... conciliabula cœperunt efficere castissima, tractantes quatenus sanctam Virginem Boyam super se ponerent... Quod audiens beata Virgo cœpit refutare pondus honoris... Cum autem frater præfatus Virginis Baldericus hanc sororum unanimem pensent voluntatem, dulcibus verbis et sanctissimis adhortationibus, persuadere cœpit suæ germanæ divinis non contraire consiliis, et potius aliarum quam suam pensare voluntatem... Quibus auditis, a rigida obstinatione summovit propositum, et iugo obedientiæ animum ante ad hoc cervicosum substraxit. Fœderine S. Baldericus tutor S. Dodæ, ambigo; verum apud Anonymum (c) de hac Virgine legitur: Ut diligenter educaretur, suæ traditur prænotatæ amitæ Bovæ abbatissæ ab avunculo Sanctissimo Balderico, ut nobiliter nobilis erudiretur et sancta sanctis institueretur institutis. Docetur enim parvula litteris a primævo divinis, post hinc humanis. Et inferius (d), ubi adventus juvenis, cui ab infantia desponsata dicitur, enarrandus est, sic prosequitur biographus: Quibus acceptis, Sancta Mater (Bovæ) respondisse fertur: nihil horum sua interesse; quorum interesset, magis interpellarentur; sibi puellam a fratre commendatam, et multis sudoribus apprime eruditam, nulli sine eo reddendam.

B * lege substravit

24 Verum cum Flodoardo (e) pergamus: Sanctus autem Baldericus post hujus (Remensis) monasterii constructionem, locum quærens, ubi suam quoque constitueret habitationem, in qua collectis secum viris religiosissimis religiose conversari, Deoque devote ac quiete servire valeret, tandem reperit sibi placitum, quem dicunt Montem Falconis, locum. Qui locus tunc temporis inhabitabilis, densis operiebatur silvis, quas ipse succidens, proprio sibi labore condidit habitaculum. Fertur autem, avem quam nuncupamus falconem, præviam et quasi præducem itineris, dum locum illum expeteret, habuisse, quæ loco eidem insederit, ac per triduum illo rediens in loco, ubi nunc habetur altare in honore S. Petri Apostoli, sine permutatione resederit. Unde et cœnobium ab hoc eventu se vocitatum plurimi asserunt. Ubi cum Deo devotius servire cœpisset, nonnulli Deum timentes res suas eidem contulerunt; sicque collectis secum monachis, cœnobium sub regulari constituit institutione; atque idem sub honore Beati Germani (Autistodorensis, ut docent Calmetus in Historia Lotharingæ (f), Mabillonius in Annalibus (g), ejusque sodales in Gallia Christiana (h) ædificavit monasterium. Quo autem anno hæc gesta sint, nihil novi unde id certo statuatur.

ædificat monasterium Montisfalconis,

C

(a) Heortolog. p. 108. — (b) Cap. 1. n. 5. — (c) Cap. II. n. 7. — (d) Ibid. n. 9. — (e) Hist. Remens., lib. IV. cap. XXXIX. — (f) T. I. lib. 8. col. 466. — (g) Ad annum 629, § XII. — (h) T. IX. col. 177. — (i) Annal. Ord. S. Bened. ad annum 629. § X. — (k) Annal. Eccl. Francor. ad annum

25 Verumtamen hæc acta sint oportet jam pridem ante annum 629, quo circiter tempore S. Wandregisilus secundum Mabillonium (i) ad Montem falconis accessit, aut etiam ante annum 627, cui Cointius (k) mavult illigare S. Wandregisili adventum: quæ utraque sententia secundum Boschium nostrum (l) admitti potest. Porro de hoc adventu, quantum ad S. Baldericum pertinet, plurimum disputatum jam est. Prius itaque exhibenda videntur veterum scriptorum testimonia. In priore Sancti Wandregisili Vita, confecta ab auctore, qui multa a semetipso visa expressit stylo barbaro, hæc occurrunt (m): Post quod ipse vir Dei (Wandregisilus) relinquens mundi istius oblectamenta, cupiebat in sancto cœnobio sub religionis habitu conversari. In primitiis cum quodam sene in loco, qui cognominatur Montefalco, habitavit non multo tempore; qui erat homo multum index (id forte insignis est), oculos speciosos, faciem liliabilem, manus prolixas, et frequenter per laticem cupiebat eas abluere, qui erogatas (intellige erogatis, etc.) omnes facultates suas, in camino paupertatis petiit assidendum. Ad hæc vero inter alia notat Boschius, ex textu vix colligi, ad quem referendus sit ille sensus qui erat homo, etc. Vita posterior et interpolata S. Wandregisili, partim ex priore a cœvo quoque collecta, ea ad S. Wandregisilum refert; quod vero contra est, dicitur S. Wandregisilus, in priori Vita paulo inferius, cellam de facultatibus suis extruxisse: quod cum præmissis verbis ægrius consonat. Quare hæc in medio relinquimus. Audiamus jam posteriorem biographum, cujus opella a Mabillonio et Boschio item edita fuit.

D quo advenit S. Wandregisilus circa annum 629,

26 Sic ille (n): Postquam autem ut superius indicatum est, ipse vir sanctus mundi hujus oblectamenta deseruit, optabat in sancto cœnobio diviniæ insistere philosophiæ, ac monasticæ regulæ venerabilem animum tradere informandum. Ac primum in loco, qui dicitur Mons Falconis, cum viro sancto, nomine BALFRIDO, non multum temporis habitavit; cujus ACTUS ET VITAM IN GESTIS DE EO SCRIPTIS, si qui noscere velint, facile invenient. Mitto reliqua, ad chronicon Fontanellense, circa annum 835 scriptum, et Acheriano spicilegio insertum, transgrediens; ubi sequentia reperio (o): Igitur ad locum qui vocatur Monsfalconis secedit, cuidam magnarum virtutum viro, CUJUS NOMEN MODO MEMORIÆ NON OCCURRIT, adhærens, plurimumque temporis cum eo conversatus, innocentis vitæ admirabilis cultor comprobatur. Inde a rege præfato (Dagoberto I) accersitus, atque ad regiam domum properare jusus, pro habitus mutatione increpatione primo, sed post honorifice prosecutus... Quæ postrema latius explicata vide in præcitata utraque S. Wandregisili, abbatis Fontanellensis, Vita.

ut uterque biographus et chronicon Fontanellense tradit.

27 Verum quæstio est, num ille senex, vir sanctus, nomine Balfridus, et magnarum virtutum vir idem sit ac Sanctus noster Baldericus. Mabillonius prius in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti affirmavit, deinde in Annalibus negavit; et quoniam Annalium facilius usus est, mirabile non est, si negans sententia apud historicos, qui post Mabillonium scripserunt, secuta ubique ferme obviat. Interea jam pridem noster Boschius (p) duplex proposuit argumentum, quo istum Balfridum seu Walfridum a nostro Balderico non distinguendum esse, me iudice, invicte statuatur: Certe, inquit ipse, de

Probatur S. Baldericum tum illic versatum esse,

627. num. 3. — (l) Act. SS. ad xxii Julii, p. 256. — (m) Ibid., cap. I. n. 8. p. 266. et Sæcul. II. Benedict., p. 527. — (n) Cap. I. n. 5. — (o) T. 10, p. 261. novæ editionis. — (p) Act. SS. ad xxii Julii, p. 257.

Balfrido

A Balfrido hoc, nulla uspiam, quod noverim, præterquam hoc loco fit mentio (Saussayum enim nihil moror), cum tamen debeat fuisse vitæ sanctitate notissimus, ut ibidem asseritur his verbis: « Cujus actus et vitam in gestis de eo scriptis, si qui nosse velint, facile reperient. » Parum autem verisimile videtur, ut, cujus Acta omnium versarentur manibus, ejus omnino neglecta sit in vicinis Ecclesiis sive Virodunensi, sive Remensi, memoria. S. Balderici quidem Acta perierunt, si pauca quædam excipias, quæ laudatus modo Flodoardus annotavit; at viget etiamnum apud Remos recordatio, eorumque Breviaris ejus festum quotannis præscribitur die XVI Octobris. Firmat hoc sane conjecturam eorum, qui nullum agnoscunt Balfridum a S. Balderico diversum. Adde, quod monasterium S. Germani S. Baldericus in Monte Falconis versus initia Dagoberti condiderit, ut colliges ex Mabillonio Annal. Benedict. lib. XII a num. 10: potuit ergo facile illi etiam tum præfuisse, cum accederet S. Wandregisilus. Denique in exemplari Ms. Thosano Vitæ secundæ S. Wandregisili, non WALFRIDUS, sed BALDRICUS legitur, uti notavit Rosweyduus noster, qui nostra cum illo contulit.

B
eumque male
distingui a
Balfrido, cu-
jus nomen

28 Quibus pauca subjicienda videntur; imprimis postulat veritatis studium, ut Saussayo duo alii addantur scriptores, qui Balfridi, Montisfalconis cœnobitæ, tamquam a S. Balderico distincti, meminerunt: prior est Trithemius, qui in opere de Viris Illustribus ordinis S. Benedicti (a), Balfridum, monachum in Montefalconis in Gallia, vitæ cultorem eremiticæ, multis clarentem, ut aiunt, miraculis tam in morte quam in vita producit; alter vero est Arnoldus Wion in appendice ad Martyrologium Monasticum (b), qui hæc a Trithemio mutuatus est, et sua fecit. Quæ si conferantur cum iis, quæ num. 2 hujus Commentarii citavi ex Trithemio et Wione loca, in quibus S. Baldericum commemorant, facile constabit Balfridum et Baldericum ab eis distinctos habitos esse. Verumtamen Trithemius et Wion recentioris ætatis sunt, quam ut eorum assertiones, quarum fons Vita S. Wandregisili verisimiliter est, adversus rationes superius a nostro Boschio productas subsistere queant.

post annum
855 male in
terpolatis S.
Wandregi-
sili Vitis
insertum
fuit; exstabat
tum S. Bal-
derici Vita.

29 Altera quæ facienda videtur animadversio, hæc est: superius dictum jam est in posteriore Vita S. Wandregisili legi Balfridi (inmo secundum Ms. Thosani Balderici) actus et vitam in gestis de eo scriptis, si qui nosse velint, facile reperitum iri. Porro summe verisimile est, hæc post annum 835 interpolata fuisse. Etenim ut mittam Balfridum illum mortuum dici a Wione anno 660 (sed demum eum anno 640 mortuum esse), et Vitam posteriorem sancti Wandregisili, qui anno 667 obiit, scriptam fuisse non ita multo post annum 680 (vide de hac re Boschium ad XXI Julii); neque proin credibile esse gesta Balfridi, qui nunquam sane fructus est fama, qua S. Martinus, S. Germanus alique hujusmodi, ita vulgata fuisse, ut monachus non Remensis, sed Rothmagensis pagi, quadraginta annis post mortem præmissis verbis usus fuerit: aliunde omnino apparet illud Balfridi nomen interpolatori debitum esse: sin minus, quo pacto chronologus Fontanellensis, qui Vita posteriore manifeste usus est, (confer inter alia quæ de S. Wandregisili Bobiensis itinere asserit, cum his quæ in duabus Vitis de eodem itinere occurrunt), scribere potuit cujus nomen modo memoriæ non occurrit? Sane nondum hæc de putatio illo Balfrido intrusa erant, sed oralis tantum exstabat memoria; et proin quam

facilis post duo aut tria sæcula similis lapsus! Quod vero hanc interpolationem anno 834 recentior feci, ratio est, quod circa hunc annum chronicum suum absolvit Fontanellensis Monachus (vide monitum quod apud Acherium ipsi chronico præmissum est); et dein quod Mabillonius vel Ruinartius in Observationibus præviis ad S. Wandregisili Vitas ostenderunt, posteriorem Vitam ex chronico interpolatam fuisse; et demum quæ quidem ipsi de intruso Balfridi nomine modo præmissimus, satis evincunt corruptionem Vitæ dicto anno posteriorem esse. Ex quibus consequitur hæc vera absurditas, (si ille Balfridus a S. Balderico distinctus admittitur), Fontanellensibus notam fuisse vitam et gesta alicujus Sancti agri Remensis, qui iisdem fere temporibus latuisset Flodoardum Remensem, reliquos agri Remensis Sanctus laudantem, de hoc vero alto tacentem silentio: quocirca statuendum est Ms. Thosani melius interpolatum fuisse; et senem, quem S. Wandregisilus convenit in Montefalconis circa annum 627 aut 629, nostrum esse S. Baldericum.

30 Atque ex his denuo stabilitur chronologia, qua sanctum Baldericum num. 19 hujus Commentarii prævi non secus ac suas germanas, inter annum 561 et 566 natum fuisse diximus. Sed hæc et alia plurima a Cointio et Mabillonio concutiuntur, et præterea fides servanda est nostrorum decessorum præmissis, qui, Cointii et Mabillonii argumenta recentiores, hæc in Commentario prævio de S. Nivardo num. 17 scripserunt: Cointius in Annalibus Francorum ad annum 627 num. 6 recitat verba Breviaris Remensis, quibus dicitur, monasterium Remis ædificatum a Balderico presbytero, eique præfuisse abbatissam S. Bovam Balderici sororem. De ejusdem monasterii consecratione hæc ibi dicuntur: « Quod Deo in honore Beatissimæ semper Virginis Mariæ atque Sancti Petri Apostoli dicari curavit, Sancto Nivardo pontifice. » Putat Cointius ad annum 649 num. 10 consecrationem illam contigisse circa initium pontificatus Nivardi, vivente adhuc Sigiberto rege. Mabillonius in Annalibus ad annum 629 ostendere nititur monasterium istud conditum esse ante annum 630, quo certe necdum episcopus erat Nivardus, ita ut dubitari possit, an consecratio per Nivardum sit peracta, quod nec Flodoardus asseruit, nec Acta habent. Verumtamen constat, sanctum antistitem in idem monasterium fuisse beneficium: nam Flodoardus cap. VII hæc habet: « Item (dedit Nivardus bona sua) Remis ad monasterium puellarum, ubi Boba præesse videbatur abbatissa. » Laudatus Mabillonius de hac donatione sic loquitur: « Nivardus Remorum antistes sub finem sæculi septimi quædam largitus est monasterio puellarum Remis, ubi Boba præesse videbatur abbatissa; quæ distinguenda videtur a Sancta Bova ex præmissis: alias plus quam centenaria fuisset. Si qui vero unam et eandem esse velit, consequens est ut etiam neget, vel Sanctam Bovam fuisse primam Sancti Petri parthenonis abbatissam, aut Balderici sororem; vel certe Baldericum non fuisse conditorem monasterii Montisfalconis, quod conditum erat ex dictis ante annum sexcentisimum trigesimum et quidem post constructionem parthenonis Sancti Petri. » Quo Mabillonii ratiocinio permoti, Galliarum Christianæ editores statuerunt puellarum monasterium, cui præerat abbatissa Boba, cum S. Nivardus bona quædam ei largitus est, esse monasterium S. Petri Inferius, a S. Gunberto exstructum. Ex his itaque triplex in controversiam reducitur quæstio; quæ sol-

Refelluntur
argumenta
Cointii et
Mabillonii,
E

F

(a) Lib. III, cap. cxxlv; ita citatur a Wione. — (b) Lignum Vitæ, t. II, lib. III, p. 411.

A *venda hic nobis est, cum Stillingus noster ibidem scripserit* : De S. Balderico agi poterit ad xvi Octobris, quo coli dicitur, ibique investigari, an argumenta Mabillonii ad distinctionem utriusque necessario cogant. Certe si monasterium exstructum est non diu ante annum 630, poterat adhuc facile superesse S. Bova, cum isti monasterio benefecit S. Nivardus, longe a fine sæculi VII, cum defunctus sit circa annum 673.

universum
hunc Com-
mentarium
impugnans,

31 Imprimis certum mihi est monasterium cui bona contulit S. Nivardus esse monasterium S. Petri Superius, quoniam monasterium S. Petri Inferius tantum post mortem S. Nivardi constructum esse aperte innuit Vita S. Guntheri, edita absque interpolationibus a Papebrochio (a). Secundo, certum mihi est abbatissam Bobam eandem esse ac Sanctam Bovam : de nomine scilicet non potest esse quæstio, cum nemo sit qui nesciat litteras B et V litteras esse $\mu\epsilon\tau\alpha\sigma\theta\iota\sigma\iota\varsigma$, ut loquitur Schilterus in Glossario ad litteram B; præterea in ipsa Vita S. Bovæ cap. I, num. 4 dicitur BOVA ex nomine vocitata, quasi multorum ADJUTRIX est appellata : *cujus etymi ratio repetenda est ex veteri voce BUB, BUBE, seruum, præter alia significante, ut elicere licet ex exemplis, quæ confert Schilterus in Glossario Teutonico ad vocem Baba; quæ vox etiam remanet in præsentii lingua theotisca seu flandrica vel hollandica, in qua habemus Boef; sed hæc vox non secus ac Schalk, primitus famulus, in perversum abiit. Cur hæc latius notanda fuerint, cognoscat lector, si adeat quæ Henschenius diduxit ad citatum locum Vitæ S. Bovæ. Verum non tantum ex nominis identitate, sed aliunde quoque comprobatur abbatissam Bobam eandem esse ac S. Balderici sororem. Etenim ex plurimis episcoporum donationibus, a Flodoardo servatis, satis evincitur id temporis unum tantum parthenonem Remis fuisse : quare si S. Bova a S. Nivardo non designatur, alia quedam ejus monasterii abbatissa, quæ S. Bovæ successit, indicata fuerit oportet; sed ex Flodoardo (b) novimus S. Dodam ei successisse; et firmum Flodoardi testimonium est; quoniam vidit præceptum immunitatis huic concessum a Pippono seu Pippino Heristalliensi, qui jam anno 680 in Austrasia dominabatur; præterea in catalogo abbatissarum S. Petri Superioris, Galliæ Christianæ (c) et Marloti Historiæ Remensi (d) inserto, frustra quæretur altera Bova, aut Boba, quæ monasterio S. Petri Superiori præfuerit. Verum duplex hæc quæstio appendiculae tantum sunt præcipui Mabillonii argumenti, chronotaxin nostram perturbantis.*

B *32 Tertio itaque adstruo S. Bovam centenaria majorem dicendam non esse, cum ejus monasterio benefecit S. Nivardus; licet S. Petri cenobio abbatissa jam præfuerit non tantum circa 630, ut vult Mabillonius, sed tringinta quatuor saltem annis ante, ut num. 8 et seqq. late stabilivimus. Quod ut constet, sufficit ut S. Nivardi donatio fieri potuerit ante annum circiter 666 : (S. Bovæ scilicet ortum inter annum 561 et 566 retulimus num. 19 hujus Commentarii). Porro, ut Stillingus noster ostendit ad diem 1 Septembris (e), S. Nivardus Remensis archiepiscopus factus est anno fere 650 et forte citius. Quare nihil nos cogit S. Nivardi donationem temporibus multo posterioribus assignare. Sed vult Mabillonius ejusque sequaces hanc ad finem sæculi VII referendam esse : utinam tam novæ assertiones certis ni-*

et dicta de-
nuo confir-
mantur,

terentur probationibus! sed omne fundamentum Mabillonii videtur in eo esse, quod credidit sæpe dictam donationem testamento S. Nivardi esse contentam; quod si verum foret, non quidem hinc concludere liceret hoc benefactum anno 673, quo fere secundum Stillingum S. Nivardus obiit, obtinuisse : cum potuerit is Sanctus testamentum suum condere diu ante mortem; quod, (ut obvium citem testimonium), in Romulfo Remensi præsule admittunt adversus Cointium Galliæ Christianæ editores (f). Secundo, hæc testamenti hypothesis non tantum gratuita est, sed prorsus caduca; quoniam Flodoardus, qui S. Remigii, Romulfi, Sonnatii et Landonis testamenta memorat, nihil hujusmodi de S. Nivardo adstruit; quod confirmatur silentio Almanni monachi, S. Nivardi gesta prosecuti (g). Tertio, hoc ipso loco, ubi Flodoardus meminit concessionis bonorum, de qua quæstio est, agit de aliis donationibus, a S. Nivardo diu ante mortem factis : satis fuerit nominasse largitiones monasterio Altvillari collatas, quas ipse Mabillonius in Annalibus (h), Gallia Christiana (i), et nos in præsentii tomo in Vita S. Bercharii ad annum circiter 662 retulimus. Stare itaque potest universa nostra chronotaxis, si S. Bovæ anni circiter 95 assignentur. Quam ætatem bene multi Sancti, probante ipso Mabillonio, prætergressi sunt.

(a) Act. SS., t. III April., p. 623. — (b) Lib. IV, c. XXXVIII. — (c) T. IX, col. 271. — (d) T. I, lib. II, cap. XXXIV. — (e) Act. SS., t. I Sept., p. 270. — (f) T. IX, col. 18. — (g) Cfr

33 Quam vero ætatem attigerit S. Baldericus, quo tempore mortuus sit, atque alia hujusmodi non ita dispicimus. Wion, qui Balfridum anno circiter 660 mortuum scribit, testatur se nescire quo tempore obierit S. Baldericus, qui nobis idem est ac Balfridus. Castellanus et Martyrologium Autisiodorensis generatim ejus mortem annectunt sæculo VII; Martyrologium Parisiense annum 628 vel 664 assignat; sed incertum quibus fundamentis hæc nitantur. Ex S. Wandregisilli Vita id unum nobis constat, eum circa annum 629 adhuc vixisse, sed viribus jam fractum fuisse, cum senex dicatur; deinde ex Flodoardo et ex sæpius citata Vita S. Bovæ eum ante hanc Sanctam migrasse et vivis. Cæterum integrum cap. IV Vitæ S. Bovæ in enarranda S. Balderici morte est; satis mihi est descripsisse synopsis, quam margini apposuit Henschenius his verbis : S. Baldericus abiturus (e monasterio S. Petri Remensi, quo negotiorum ergo devenerat), ob tempestatem ad preces Sanctarum (Bovæ et Dodæ) excitatam retinetur in monasterio; gravi morbo tentatur; timet ne monasteriis malum imminet; SS. Bovam et Dodam confortat : seipsum piis votis excitat, accipiens coronam sibi a Christo oblatam, pie moritur; odor suavissimus et cadaveris nitor cœlestem ejus gloriam indicant; obitum ejus maxime lugent S. Bova soror et S. Doda neptis. S. Balderici corpus expositum claret miraculis, sepelitur IX Octobris.

34 His adstipulatur Flodoardus, caput de S. Balderico sic claudens (k) : Quibus patris (Montefalconis ordinato), ad sororem suam reversus Remis, ultimum sui cursus ibidem clausit diem, ubi et sepultus tempore non modico quievit. Quæ postrema verba intelligenda non sunt, quasi S. Baldericus ipsis Remis sepultus fuisset; qua in re errant scriptores gravissimi. Etenim capite superiore scripsit Flodoardus corpora SS. Bovæ et Dodæ in ecclesia extra muros urbis... diu tumulata quievissent, donec postmodum, revelationibus quibusdam elevata, et ad hanc novam sunt ecclesiam

Act. SS., t. I Sept., p. 278 et seqq. — (h) Annal. Ord. S. Bened. ad annum 662, § 23. — (i) T. X probat., col. 1. — (k) Hist. Remens., lib. IV, cap. XXXIX.

D

E

Latet annus
emortualis S.
Balderici,
qui anno 629
senex erat;

F

sepelitur in
ecclesia S.
Mariæ extra
muros Remo-
rum.

(intra

- A (intra urbem) perlata... Quæ verba conferenda sunt cum his, quæ Vita (a) SS. Bovæ et Dodæ exhibet: S. Dodam odorum muniis diversorum... venerabiliter compositam juxta Sancti Patris Balderici sinistri lateris partem honorifice sepelierunt VIII kalendas Maii, in supradicta ecclesia Beatæ Dei Genitricis et perpetuæ Virginis Mariæ: ubi merita eorum trium, per multa floruerunt tempora, quousque destructa penitus exstitit illa ecclesia propter rationes superius a nobis tractatas. *Alibi autem dicitur (b) S. Bova* tumulata ad partem dextri lateris fratris, ad quietem in basilica Sanctæ Dei Genitricis extra muros Remorum, *idemque aperte de S. Balderico affirmatur (c). Secundum hanc vero S. Bovæ Vitam sepultus fuit noster Sanctus VII Idus Octobris, seu die IX hujus mensis. Marlotus (d) ex Flodoardo refert S. Baldericum die XII Octobris obiisse: qui lapsus calami seu memoriæ est, cum nusquam hic auctor S. Balderici emortuale tempus notaverit. Quamdiu extra muros Remorum manserint nostri Sancti pignora; non est unde edisseramus. Attamen num. 5 hujus Commentarii prævii planum factum fuit, eas ante annum 882 jam pridem aliorum asportata fuisse, prius ad monasterium S. Petri Remense, ut ex dicto num. 5 liquet, dein ad Montefalconis, ut late docet Flodoardus in hac historiæ suæ parte, quam ad calcem hujus Commentarii, annotatis instructam, subjicimus. Quod autem S. Baldericus in ecclesia S. Mariæ extra muros Remorum, non in ecclesia S. Petri sepultus fuerit, ratio est, nondum id temporis satis invaluisse morem sepeliendi in civilatibus, ut inferius ex Vita S. Mummolini et adjectis notis patet: qua de re non expedit plura hic conferre. Frustra objiceretur testimonium Flodoardi (lib. I, cap. XVII) de sepultura S. Remigii dicentis; cum potius ille locus indicet pristinum morem sepeliendi mortuos intra muros Remorum abolitum fuisse tempore S. Remigii et ipsius Flodoardi ævo nondum fuisse restitutum. Pergimus jam ad fata cænobii Falcomontensis, quod S. Balderico origines suas debere sæpius diximus.*
- B

§ IV. Elucidantur aliquot puncta historica ad cænobium Montisfalconis spectantia.

C
n Montefalconis successerant jam temporibus Hincmari canonici loco monachorum;

Quæri primo potest num S. Baldericus monachus Benedictinus fuerit: mitto repetere responsa Wionis aliorumque, quos num. 2 citavi; unus hic Mabillonius prodeat, qui in indice prætermissorum Secundi Sæculi Benedictini insignit S. Baldericum asterisco, qui designet eos qui germani Benedictini esse videntur; sed norunt docti hoc effugium fuisse, quo placaret sodales, qui eum violati canonis Sanctorum Ordinis postulabant, dum alii e suis sociis eum tamquam faciliorem tradebant. Quantum vero ad me attinet, caducis conjecturis indulgere nolo: aliis indagandum relinquens, num quid elici queat ex disciplina et gestis S. Wandregisili, qui S. Balderico magistro usus est. Quidquid vero hac de re statuatur, non ita diu in Montefalconis habitavit monachi, quibus canonici successerunt. Nam, licet hæc

D
Flodoardi verba (e): Processu denique temporis diligentia clericorum, prænotatum ipsius beati viri monasterium incolentium, ejus est illuc furtim corpus... Remis ablatum, non certo innuunt hos clericos jam canonicos fuisse, tempore tamen Hincmari sine dubio illic jam debebant hujus instituti viri; quod constat ex Flodoardo (f) asserente ad tempora Caroli regis et Hincmari archiepiscopi, ... Nordmannorum... terrore compulsos fuisse canonicos ejusdem loci, et ex verbis Hincmari (g) in synodo apud Remos habita anno 874: Presbyteri nostræ parochiæ (diocesis) dicuntur ecclesias suas negligere et præbendam in monasterio Montisfalconis obtinere; sed et canonici ipsius monasterii ecclesias rusticarum parochiarum occupare. Quod utrumque cum ex auri cupiditate fieret, et multa procrearet incommoda, severe vetuit. Atque ab hoc tempore usque ad superioris sæculi gallicos tumultus permanserunt illic canonici. At lubet paulo altius in Montisfalconis historiam inquirere, quam hucusque ab historico aliquo factum fuisse sciam.

E
36 Superius ex Flodoardo didicimus monasterio, in Montefalconis a S. Balderico ædificato, inditum fuisse titulum S. Germani. Neque id mirabile est, cum hujus Sancti cultum jam tempore S. Remigii in diocesis Remensem introductum tradat S. Hericus Autisiodorensis (h). Verum neque S. Hericus, neque alius ullus mihi cognitus antiquus scriptor, qui vitam, miracula et translationes S. Germani prosecutus sit, tradit, quæ, teste Marlotto (i), a recentioribus S. Germani et S. Balderici biographis asseruntur, et quæ in Officio Falcomontano partim quoque reperio, Carolum Magnum ab Autisiodorensibus petiisse et adeptum esse Reliquias S. Germani, in Germaniam deferendas: eas ad Montefalconis fuisse translatas; capulum, quo inclusæ erant tanto pondere fuisse aggravatum, ut inde intellexerint ordinatum altiori nutu, ut prædictæ Reliquiæ cænobiale Balderici ecclesiam adornarent, quæ ob id B. Germano dedicata est; imperatorem haud multo post hujus rei certiore factum per nuntios, ecclesiam, et Baldericum visitasse, cui multos impertiit redditus, quibus decem aut octodecim præbendæ dotatæ, etc. Certum est hic fabulas non deesse: S. Baldericus quippe duobus fere sæculis Carolo Magno anterior est; et translationem Reliquiarum S. Germani tempore hujus imperatoris commentitiam esse manifestum est, cum ex dicto S. Herici libro, tum ex his quæ hac super re commentati sunt decessores nostri ad XXXI Julii, vel Lebeuf in Historia Autisiodorensi (k), aliique complures. Quorum errorum, origines detegere mihi videor in Historia foundationis monasterii Gladbacensis, quam primus edidit Lucas d'Archery in Spicilegio; ubi in tomo II posterioris editionis hæc leguntur (l): Fertur ab antiquioribus Caroli Magni temporibus Baldericum quemdam ex regni primoribus in isto monte fabricasse ecclesiam, et cum pretiosissimis Sanctorum Reliquiis, eamque sufficientibus redditibus velut sponsam dotasse pulcherrimam... Cujus montis situs dignoscitur ex his quæ ibi obviant verbis (m): Ultra terminum diocesis (Coloniensis) appropriaverunt Molensium fines. In ipsis ergo finibus mons erat incultus... Et inferius (n) late exponitur illum eundem montem esse, in quo Gladbacense S. Viti monasterium ædificatum est. Ut autem excussem eos, qui Gladbacum cum Montefalconis confu-

forte invidit Carolus Magnus hunc locum eliberaliter habuit.

E

F

(a) Cap. v, n. 24. — (b) Ibid., n. 22. — (c) Ibid., n. 20. — (d) Hist. Remens., t. I, lib. II, cap. xxxv, p. 263. — (e) Lib. IV, cap. XL. — (f) Ibid. — (g) Labb. Collect. Concil., t. VIII, col. 587. — (h) De Miracul. S. Germani, lib. I, cap. XLVI, ap.

Labb. Bibl. nova Mss., t. I. — (i) Hist. Remens., t. I, lib. II, cap. xxxv, p. 262. — (k) T. I, p. 74. — (l) p. 656. (m) Cap. VI. — (n) Cap. VII.

derunt

A derunt, notabo hunc (ut paulo inferius videbitur) in comitatu Dolinensi aut Dolmensi situm esse: quod nomen a pago Molinensi non prorsus dissinat; et præterea de hoc pago innumeras propositas fuisse sententias: vide chronicon Gotwicense ad vocem Moilla et opus Cl. VV. Binterim et Mooren de veteri et præsentii diocesi Coloniensi (a), ubi ille pagus perbene illustratur. Ut jam redeam ad propositam quæstionem, imperatoris transitum et liberalitatem probat Marlotus (b); quæ sententia fulciri potest ex jure, quod in hoc cœnobium deinceps adepti sunt Caroli Magni successores.

Certe penes ejus successores fuit, a quibus datus est Viridunensibus episcopus;

B 37 Jus scilicet, quo in abbatias regales gaudebant reges imperatoresve, sæpe repetendum esse ex eo, quod illorum munificentia abbatia fundatio aut reedificatio debebatur docet cum aliis Thomassinus (c). Porro in divisione regni, inter Carolum Calvum et Ludovicum Germanicum anno 870 facta, obtinuit Carolus inter varia monasteria Montemfalconis. Circa annum vero 890 videtur hoc cœnobium penes Arnulfum, regem Germaniæ, filium nothum Carlomanni, Bavaricæ regis, nepotem Ludovici Balbi, et pronepotem Caroli Calvi. At circa memoratum annum 890 abbatia seu collegiata ecclesia Montisfalconis e regali facta est episcopalis; ut liquet non tantum ex testimonio Flodoardi (d), sed imprimis ex ipsius Dadonis Viridunensis episcopi, qui eam accepit, descriptione. Hic scilicet, ut ipse præfatur, anno ab Incarnatione D. N. J. C. DCCCXIII, regnante vero domino Arnulfo rege anno V, confecit epitomam gestorum Attonis et Berhardi, qui eum in Viridunensi sede præcesserant, quod prius edidit Wassenburgius in Antiquitatibus Gallie Belgie (e) et dein Calmetus inter probationes Historie Lotharingie (f). Hæc porro illic occurrunt verba, ad ipsum Dadonis tempora referenda: Arnulphus quoque gloriosissimus rex dedit in proprium per auctoritatis suæ præceptum supradictæ ecclesiæ (Viridunensi) abbatiam, quæ vocatur Montisfalconis, quæ est in honore S. Germani constructa, et in comitatu Dolinensi (Dolmensi legit Calmetus) est sita, cum omnibus et sibi pertinentibus, etc.

qui in eum jurisdictionem temporalem, et spirituales habuerunt.

C 38 Marlotus (g) commentatur hanc donationem, culpamque Wassenburgium, quod exinde contendit (ubi locorum id faciat equidem non reperio) prædicti Montisfalconis ecclesiam Viridunensi fuisse subiectam; et secundum ipsum citatum diploma probat Argonie ulteriorem partem, in qua jacet Monsfalconis, partem imperatorum fuisse dominii, quamvis inficias ire nolit episcopis Viridunensibus prædictum monasterium in commendam fuisse collatum: et quidem Flodoardi testimonio stabiliri posse videtur jam tempore Dadonis usum commendæ apud Montemfalconis obtinuisse; hæc sane prodit Flodoardus (h): Præfatus præsul Dado, postquam hanc S. Balderici obtinuit abbatiam, res quasdam trans Rhenum sitas ab Adelardo abbate ad idem dudum monasterium datas pro villa Gerlani monte, super Mosellam conjacente, mutavit. At quam villam dum sancienti sibi causa, proficisci fratres hujus congregationis PRÆCEPISSET, ... profecti sunt EXEQUI JUSSA. Præterea ex Vita B. Joannis Abbatis Gorziensis, ad XXVII Februarii in Opere nostro edita (i), hoc alterum eruere est testimonium: narratur nempe B. Joannes a pluribus fuisse visitatus; inter quos... quidam vir natione Britto, An-

dreas nomine, liberalibus apprime studiis eruditus, sed et animi virtute præpollens, et quod his majus est, in divina admodum studiosus. Hic de patria insula, infestatione Normannorum, cunctis ejusdem incolis aut occisis aut fugatis, cum pluribus aliis doctis æque ac sapientibus viris pulsus, a reverendæ sanctitatis episcopo Dadone, cujus supra mentio facta est, in Montemfalconis cum nonnullis, qui cum eo advenerant, Brittonibus exceptus et satis liberaliter est procuratus. At non suavis fuit Montisfalconis canonicis hæc Viridunensium episcoporum potestas: jam anno scilicet 941, ut asserit Flodoardus in Chronico, canonici Montisfalconis oppressione Viridunensis episcopi prægravati, deserentes cœnobium suum, corpus Sancti Balderici patroni sui deferunt Remis. Hugo Flaviniacensis, qui hanc Flodoardi descriptionem ab anno 919 ad annum 966 contraxit, in suo Chronico Viridunensi idem factum admittit, innuens tamen oppressionem potius prætensam quam veram fuisse. Sed recentior est Hugo, quam ut ei standum sit.

D 39 Quamdiu extorres e suo monasterio degerint canonici Montisfalconis, non in promptu edisserere est. Res sane jam composita erat, cum Adalbero, Viridunensis episcopus, ab sua sanctitate laudatus, hoc cœnobio non anno 980, ut male statuit Marlotus (k), sed inter annum 984 et 988 potiretur, ut ex Gallia Christiana (l) constat, idque paulo ante mortem resignaret Rodulfo, fratris seu sororis filio, qui usque ad tempora S. Richardi, abbatis S. Vitoni, vixit, quemadmodum adstruitur a Wassenburgio (m). Citius etiam hanc litem absolutam fuisse statuendum esset ex quorundam sententia, qui volunt, ut habet Gallia Christiana (n), a quodam abbate Montisfalconis ad Wicfridum, Viridunensem cathedram ab anno 959 usque ad annum 983 adeptum, scriptas fuisse duas epistolas, in Spicilegio Dacheriano (o) editas. Verum Martennius in Amplissima Collectione (p) eandem cum alia inscriptione edidit, et in adjecta nota satis ostendit eas scriptas fuisse a Remigio Autisiodorensi monacho ad Dadonem, quem supra memoravimus. Martennii argumentis addi potest, Hungaros, qui in priori epistola dicecesim Viridunensem dicuntur vastare, post annum 935 in hunc terræ tractum non incurrisse; quo anno posterior est episcopatus Wicfridi. Amicitia itaque, quæ in hac epistola inter Viridunensem episcopum et congregationem S. Germani vigere dicitur, ad canonicos S. Germani de Montemfalconis non spectat.

Inde turba, quæ dein seculatæ, quod tamen non liquet ex epistolis, male alicui Montisfalconis abbati attribuitur.

F 40 Ex quo tempore Adalbero Rodulpho nepoti Montisfalconis cœnobium resignavit, non videtur abbatis munus continuo ad episcopum Viridunensem rediisse. In catalogo enim primiceriorum Viridunensium Gallie Christiane inserto (q) apparet vir quidam nomine Dudo, de quo sequentia illic leguntur: Dudo simul erat primicerius et abbas Montisfalconis anno 1032 mense Septembris in charta foundationis prioratus Ameliæ. (Excusa est hæc charta in Gallia Christiana (r); sed primicerius illic tantum audit). Subscripsit litteris Brunonis episcopi Tullensis pro monasterio S. Apri anno 1034. Quæ litteræ reperiuntur inter probationes Historie Lotharingie (s); at inde discimus tantum eum primicerium Viridunensem fuisse. Assertio tamen Gallie Christiane certa est, quandoquidem ex archivio Metensi erutum fuit diploma Conradi II

Dudo primicerius Viridunensis et abbas Montisfalconis.

(a) T. I, p. 230 et seqq. — (b) Hist. Remens., t. I. lib. II, cap. xxxv, p. 262. — (c) De la discipline ecclésiastique, edit., 1725, part. II, lib. II, cap. xxviii, n. 1. — (d) Hist. Remens., lib. IV, cap. xli. — (e) Fol. rec. 174. — (f) T. III, col. lxxvii. — (g) Hist. Remens., t. I, lib. II, cap. xxv, p. 263. — (h) Ibid. lib. IV, cap. xli. — (i) Cap. III n. 23,

p. 694. — (k) Hist. Remens., t. I. lib. II, cap. xxv, p. 263. — (l) T. XIII, col. 1182 et seq. — (m) Antiq. de la Gaule Belgique, fol. vers. 206. — (n) T. XIII, col. 1181. — (o) T. I, p. 398 poster. edit. — (p) T. I, col. 230. — (q) Gall. Christ., t. XIII, col. 1258. — (r) Ibid. inter instrum., p. 557. — (s) T. II, col. cclxxvii.

A imperatoris, quo roborat permutationem factam inter Heymonem episcopum Virdunensem, vita jam functum, et Dudonem primicerium Virdunensem simulque Falcomontanum abbatem; quod diploma, excusum in Collectione Historicorum Gallie (a), nuncupat Dudonem primicerium et abbatem de loco Sancti Germani. Ejus partem reperiet lector in textam annotatis, Flodoardi narrationi de miraculis S. Balderici subjungendis. Ex nullo autem fonte eruere licet, quo anno Dudo primum occupavit abbatialem Montisfalconis sedem; sequitur tantum ex Heymonis emortuali anno 1024, Dudonem hoc saltem anno utraque Virdunensis primicerii et Falcomontani abbatis dignitate fruitum esse. Verum non duravit is rerum status; sequenti enim tempore factum est denuo hujus ecclesie regimen penes Virdunenses episcopos, ut inferius ad annum 1168 videbimus.

Ab anno 1037, non abbas, sed præpositus Montisfalconis præest; castrum dein edificatum et destructum; jus Virdunensis episcopi.

41 Interea, triginta circiter annis post Dudonis tempora, abolitus erat abbatis titulus, et in præpositi nomen, quo Milo ante annum 935 jam usus fuisse traditur (b), abierat. Quod docemur rescripto Godefridi Gibbosi, ducis Lotharingæ et Godefridi Bullionensis avunculi, dato diebus sanctis Pentecostes anni 1057, de reformandis subadvocatis Ecclesie Virdunensis; quod plures abbates et præpositus etiam de abbazia Sancti Germani jam pridem efflagitabant, ut apud Wassenburgium legitur (c). Neque hæc interventio mira esse potest; quod Monsfalconis feudum seu beneficiarius fundus erat, quem is qui abbas seu præpositus Virdunensis aliusve foret, a Lotharingia duce tenebat. Cujus rei testis est Laurentius de Leodio, scriptor Historie episcoporum Virdunensium, Dacheriani Spicilegii tomo II posterioris editionis insertæ; ubi Monsfalconis intra episcopium, seu temporalem jurisdictionem episcopi Virdunensis situs dicitur, et simul mentio fit castrum, quod ibidem dux Lotharingæ tanquam dominus habebat: Idem dux (Godefridus Bullionensis), ait Laurentius (d), castrum Falconis montis, quod in episcopio (Virdunensi) firmaverat, ne in posterum noceret, abiens fecit everti. Quod vero reddidi, vocabulum episcopium, cujus varias significationes in Glossario Cangii videre est, per temporalem episcopi jurisdictionem, auctor mihi fuit La Martinière in Dictionario suo Geographico ad vocem Montfaucon. Et reapse hæc recta interpretatio videtur, quandoquidem inter pagos, vicos, aliæ hujusmodi, in quæ solitam jurisdictionem temporalem per investituram Nicolaus Psalmæus, Virdunensis episcopus, ab imperatore Carolo V anno 1548 Bruxellis adeptus est, recensetur ex antiquo more Monsfalconis (e). Quod vero spectat ad jurisdictionem spiritualem, video graves, sed recentiores, historicos Montemfalconis ante sæculi superioris tumultus episcopo Virdunensi subicere, eumque a diocesi Remensi decerpere. At cum nusquam aliquid mihi occurrat, quod in eandem me inducat sententiam, arbitror hanc litem dirimi posse, si distinguatur iudicium in cœnobii incolæ a jurisdictione in accolæ vicinos seu Montisfalconis cives; et si illa tribuatur Virdunensi præsuli aliæ ejus locum tenenti, hæc vero archiepiscopo Remensi adscribatur. Quidquid id est, archiepiscopi Remensis auctoritas non semper inutilis fuit ipsis Virdunensibus, qui Montemfalconis poterant. Exstat scilicet in Amplissima Collectio-

C

ne Martenii (f) et in Collectione scriptorum Historie Gallie (g) epistola Alexandri III Papæ, data Beneventi anno 1168 vel 1169 ad Henricum Remensem archiepiscopum; qua eum exorat, ut Richardum de Crissa Virdunensem electum, Romanæ Ecclesie devotum, defendat a vexationibus Gideri de Sarnai possessiones ecclesie Montisfalconis invadere ac devastare præsumptis, et homines ejus diversis afficientis detrimentis, quoniam jam dicti filii sui damna propria reputare debet.

42 Haud scio an diu ante annum 1224 archidiaconatus Argonæ (illius nempe Argonæ partis, quæ archidiecepsi Remensi clauderetur), cum præpositura Montisfalconis unius fuerit; neque similiter satis mihi patet, an hæc beneficiarum conjunctio ab in-eunte sæculo XIII semper perstiterit: id tantum mihi certum est, Henricum de Malapete utroque hoc munere gavissimum esse, cum scissio facta est in capitulo Virdunensi anno 1224, saniore capituli parte Radulfum de Torota eligente, (quæ electio post biennium confirmata est.) altera parte eligente ipsum Henricum de Malapete. Latius enucleatum vide hoc negotium in Gallia Christiana (h). Similiter Nicolaus Bousmard, qui curante Carolo III Lotharingæ duce anno 1576 bullas suas, quibus Virdunensis episcopus declarabatur, non sine canonicorum quorundam simulate adeptus est, archidiaconus Argonæ, major præpositus Montisfalconis et decanus ecclesie collegiatæ S. Magdalene ante suum episcopatum erat (i). Inter Henricum et Nicolaum tertius innotescit præpositus Montisfalconis, qui pariter archidiaconatu fruitus est, et anno 1456 a majore capituli parte in episcopum electus fuit; quod officium anno sequenti ex nominatione summi Pontificis est adeptus: cujus laudes et naves late declarat Gallia Christiana (k). Ast quoniam in his disquiritis scopus noster fuit, aliquatenus tantum supplere absentiam historie abbatis Montisfalconis; non est quod investigemus, quo tempore edificatum fuerit castrum, quod Henricus IV, cum Campania penes Galliarum reges devenit, eascindendum jussit, et de quo Beaugier in Commentariis de Campania (l) et d'Expilly in Dictionario Geographico agunt, similiave congeramus ad historiam politicam spectantia.

F § V. Amissio omnium fere S. Balderici Reliquiarum; cultus in diocesi Coloniensi et in Montefalconis, cum exstaret capitulum et postquam destructum est.

I In superiori § siluimus fere de S. Balderici Reliquiis earumque cultu: tum quoniam ea, quæ ante Flodoardi obitum, seu potius ante scriptam ab eo Historiam ecclesiasticam Remensem contigerunt, sedulo annotavit hic historiographus; tum quoniam ea, quæ ejus secuta sunt tempora, omnimodis tenebris involuta jacent adeo ut ipsum corpus jam pridem in ignoto quiescat loco. Remis quidem ut habet Marlo-

(a) D. Bouquet Recueil des Hist. de France, t. XI, p. 558. — (b) Flodoardi Hist. Remens., lib. iv, cap. XLII. — (c) Antiquit. de la Gaule Belgique, fol. vers. 261. — (d) Spicileg. tom. II, p. 246 nov. edit. — (e) D. Calmet Hist. de Lor-

raines, t. VII, col. 112. — (f) T. II, col. 761. — (g) D. Bouquet, t. XV, p. 869. — (h) T. XIII, col. 1210. — (i) Ibid., col. 1244. — (k) Ibid., col. 1235 et seqq. — (l) Mémoir. histor. sur la Champagne, t. II, p. 14.

Archidiaconi Argonæ interdiu sunt Montisfalconis præpositi; quinam ex his Virdunenses episcopi facti sint.

E

F

S. Balderici Reliquiæ, quarum partem tantum Remis et in Montefalconis servatur.

tus

A *tus (a), in gazophylacio S. Petri Superioris servabatur olim os sat longum S. Balderici (Marloti verba sunt), quod inter Gallicanos tumultus forte perierit: (nam nihil nobis de eo seiscitantibus responderunt Remenses;) et in Montefalconis aliquot quoque ossicula pia habebantur veneratione: ast reliqua sacra exuviae diuturna sepeliebantur oblivione. Constat id scilicet ex epistola canonici Falcomontani; qui, ut mortem aut sacrilegam vitaret perfidiam, in Coloniensem diocesim emigraverat. Reverendi autem DD. Binterim et Mooren in suo opere de veteri et praesenti Coloniensi diocesi (b), ubi Librum valoris Coloniensis diocesis commentantur, inseruerunt eam ad locum, nomine Wieslich in decanatu Arcuensi, qui nunc Wesseling aut potius Wesling, olim vero Waslicia dictus est. Sonant autem in hac verba circulares illae litterae: Capitulum insignis ecclesiae collegiatae Sanctorum Germani et Balderici Montisfalconis, Galliae Montifaucon, Remensis Diocesis in Gallia, ab imperatore S. Carolo Magno saeculariter fundatum, jam a primis temporibus circa ann. 820, a quodam Adhaelardo ecclesiae suae abbate seu praeposito quoddam dominium acceperat, villam nempe Wasliciam, vulgo Wesseling, supra Rheni ripas, Coloniam Agrippinam inter et Bonnam oppidum sitam. Praedium istud canonici Montisfalconis per 600 et amplius annos rexerunt, et per unum e suis fructificare fecerunt ad hoc deputatum, donec mediante saeculo xv, attentis ex majori distantia resultantibus impedimentis, illud canonicis SS. Cassii et Florentii civitatis Bonnensis venderunt mediante certo et conducto florenorum aureorum numero; quibus alia sibi viciniora praedia comparaverunt. Extant hujus venditionis, capitulo Bonnensi factae, instrumenta in archivis ecclesiae Montisfalconis et actus, per quem nomine sui capituli deputati Cassiani promittunt, se perpetuum in ecclesia sua Bonnensi celebratos anniversarium pro benefactoribus ecclesiae Falcomontanae, iis praecipue, qui eidem dictam Wasliciam dederunt.*

videntur olim in diocesi Coloniensi deperditae fuisse, ut constat ex epistola hinc recitata;

B *44 Prioribus existentiae suae saeculis canonici Montisfalconis, primum a Nortmannis fugati; dein ab Hungaris, qui has Galliae partes invaserant et infererant; demum a vicinis magnatibus oppressi, ut eorum se vexationibus subducerent, toties suam Wasliciam petebant, secum auferentes corpus patroni sui Sancti Balderici; cujus ad exuvias turmatim concurrentes et prostrati, Rhenses incolae multas a Deo sanitates impetrarunt multaque sunt admirati miracula, quae fuse narrat Flodoardus Remensis saeculi x scriptor. Unde S. Balderici cultus non modicum in his Rhenensibus regionibus invaluit. Sed heu! jam ab xi saeculo corpus sui patroni desiderat ecclesia Montisfalconis, cujus tantummodo quasdam possidet particulas; et non absque fundamento conjicere datur, praecipuam corporis partem apud Wasliciam, vel in vicinia, post in supra memoratas translationes esse derelictum. Accedit quod a multis inde saeculis specialis cultus habeatur in eadem collegiata Montisfalconis ecclesia Sanctorum Gereonis et Soc. Martyrum, non alia sane causa introductus, quam ex occasione supra dictarum corporis S. Balderici in archidiaecesi Coloniensem translationem, quemadmodum ex vice versa ex antiqua capituli Montisfalconis possessione patronatum Sancti Germani sibi vindicant parochialis ecclesia Wesling.*

(a) Hist. Remens. tom. I, p. 256. — (b) Die alte und neue Erzdiözese Köln, t. I, p. 136 et seqq. — (c) Prodrum Histor. Canonic. Regular., t. I, p. 100. — (d) Collect.

D *45 Quocirca ego Ludovicus Maria de Rosne, presbyter et ejusdem Falcomontensis ecclesiae canonicus et historiographus, pro fide nunc et rege in hisce Germaniae partibus exulatus, nomine dicti mei capituli quoscunque rogandos rogo et obtestor, quatenus me doceant si quid ad eorum notitiam de Sancto Balderico abbate pervenerit. Utrum v. g. apud eandem Wasliciam vel in vicinia corpus ejus conservari noscatur et cultus ejus vigeat; et si res se ita habeat, certiora per scriptum testimonia largiri dignentur petenti perpetuas tum a me, tum meis confratribus, gratias in terris, sed majorem in caelis accepturi mercedem ab eo, qui est mirabilis Deus in Sanctis suis. — Coloniae Agrippinae 20 Novembris 1793, Derosne, can. Montisfalco. — Praesens manuscriptum per manus auctoris tempore sui exilii mihi infrascripto in abbacia Brauwilerensi traditum esse testor, Spenrath.*

E *46 Paucula de his litteris animadvertisse juverit. Affirmatur initio ab imperatore Carolo Magno Montisfalconis caenobium saeculariter fundatum esse: quod aliis verbis sonat id temporis canonicos saeculares substitutos fuisse monachis primitus illic a S. Balderico institutis; verum huic asserto nobis refragari liceat, dum persuasum habeamus tempore hujus imperatoris, si quae mutatio tunc facta sit, canonicos regulares, non saeculares, illic introductos fuisse. Re quidem vera regula Aquisgranensis, permultum a Carolo Magno promota, aestimatur a pluribus, quos inter Zunggo (c), numquam suos canonicos inter alios quam inter saeculares habuisse; verum inde non certo inferas ubique temporibus Caroli Magni hujusmodi canonicos monachis successisse nam iisdem temporibus regula canonicorum S. Chrodegangi, certe religiosorum, invaluit: quare, cum Hincmarus Remensis in synodo Remensi anni 874 capitulum ediderit, quo plane supponit canonicos Montisfalconis vere religiosos fuisse (quod legere est apud Labbeum (d), ubi inter alia mentio fit professionis libelli), multo magis nobis placet Zunggo sententia, qui censet (e), saeculo tantum duodecimo canonicos saeculares illic introductos fuisse, licet tamen ex dictis satis liqueat saeculo nono disciplinam regularem in hoc caenobio graviter jam labasse. Quae vero praeterea de Montisfalconis Zunggo (f) asserit, quot verba tot fere commenta sunt. Quae qui legere voluerit, comparet cum his quae § superiore diducimus, et durissima haec nostra censura mitior forte videbitur. Verum ad S. Balderici cultum pedem referamus.*

in quam ali quot facienda videntur censura:

F *47 Monet nos citatum laudatumque opus Binterim et Mooren, in libro III, syntagmate 75 de Colonia Agrippinensis Magnitudine mentionem fieri de rudericibus ecclesiae olim S. Balderico sacrae. Et quidem in indicato opere (g) legitur, videri conditum a S. Philippo Benitio, anno 1273 per Germaniam itinerante, monasterium Servitissarum, quod aliquandiu juxta Bonnam exstitit sub titulo S. Balderici, vulgo Sanct Baldrich, nunc unitum, ut addit Gelenius anno 1645 scribens, Collegio Ditzkirchensi in cujus vinea adhuc videntur rudera S. Balderici. Titulus ecclesiae tamen videtur exstitisse ab exilio S. Balderici (Falcomontensium sane canonicorum) in Wesseling. Collegium Ditzkirchense idem est ac ecclesia collegiata S. Lubentii in Dietkirchen, sita in diocesi Trevirensi ad fluvium Loganam. Frustra vero plura inquisivi de hoc Servitissarum monasterio, cujus ne mentio quidem fit in Annalibus*

hinc in illa regione cultum obtinuit S. Baldericus.

Concil., t. VIII, col. 587 et seq. — (e) Prod. Hist. Canon. Reg., t. II, p. 93. — (f) Loc. cit. — (g) Gelenius de Administranda Colonia Magnitudine, p. 588.

A *Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis, neque in operibus, quæ de diœcesibus Trevirensi et Coloniensi habemus, si allata loca excipias.*

Quæ reliqua monumenta ad cultum,

48 Quod vero ad cultum, Reliquias aliaque hujusmodi Falcomontensia attinet, nihil satius mihi occurrit, quam latino idiomate exhibere binas ad nos datas litteras. Rev. adm. Dominus Houzelot, decanus et parochus Falcomontanus, sic scilicet ad nostra postulata rescripsit: I. Codex MS., cujus meminit Calmetus, anno 1793 flammis traditus est, non secus ac reliqua monumenta, quæ in archivio Montisfalconis servabantur. II. Pristinæ canonicorum ædes prorsus destructæ sunt; superest unum templum, quod servatum est, ut vices suppleret pristini S. Laurentii parochialis templi, in quo S. Balderici sepulcrum exstabat, et quod omnino nunc dirutum est. III. S. Baldericus patronus non est Montisfalconis, sed S. Laurentius; æstimatur ille tantum ut fundator; verum patronus est in Spanulfi villa (*Epinoville*) et Septargues, exiguis parœciis, quæ dimidia leuca a Montefalconis disjacent. Nulla exstat pia peregrinatio in S. Balderici honorem. IV. Nostra ecclesia nullis S. Balderici Reliquiis gaudet; inveni solummodo in sacristia cranium et duo ossa anterioris brachii (*cubitos itaque aut radios*), authenticæ monumentis destituta. Ea collocanda curavi in altari, non ita pridem in honorem B. V. M. a Septem Doloribus erecto. Æstimat vulgus ea ex corpore S. Balderici olim desumpta fuisse. (*Videat lector quæ num. 44 ex litteris D. Devosne recitavi, judicetque num unquam cranium et duo majora ossa particulæ vocari quiverint*).

V. In Montefalconis neque imago, neque statua, neque aliud momenti cujuscumque monumentum, ad S. Baldericum spectans, exstat; si excipias puteum, qui vulgo dicitur LE PUIS DE S. BAUDRY, licet hodie hic Sanctus vernacule non BAUDRY, sed BALDERIC audit; similiter alius puteus prope pristinam ecclesiam collegiatam puteus Sancti Germani dicitur. VI. In hoc tractu non alia noscuntur miracula, quam quæ a Flodoardo referuntur. VII. Missa et Officium hujus Sancti propria sunt; iisque etiamnum utimur, licet Montisfalconis diœcesi Virdunensi nunc capitur, in qua Officium de Communi abbatis usurpatur. *Hæc laudatus Dominus Houzelot in litteris xxiii Aprilis anni 1842 datis.*

C canobium,

49 *Mediante eodem Rev. adm. Domino, aliam multoque longiorem assecuti sumus notitiam de pristino S. Balderici cultu, et Falcomontanæ ecclesie statu. Quoniam hujus notitiæ auctor testis gravis atque ocularis est, et, quantum ex ejus descriptione colligere queo, prudentia non minus quam genuina pietate floret, rem lectori gratam a me factum iri autumo, cum jam ipsas has litteras, tamquam historicum monumentum, integras fere exhibebo. Is est R. D. Radière, hodie canonicus honorarius Virdunensis, et parochus atque decanus Claromontanus in Argona. Paucis itaque præfatus se ab anno 1778 canonicum capitularem Falcomontanum fuisse, nunc vero solum pristinis suis sociis superstitem esse, sic pergit: Capitulum Falcomontanum decem abhinc sæculis (regulari sub disciplina, intellige) conditum, constabat præposito, decano, præcentore et viginti octo canonicis; quorum unus in ecclesia metropolitana Remensi canonicus simul erat et archidiaconus. (Ex quo tempore id obtinerit, neque apud Marlotum in Historia Remensi, neque ex Gallia Christiana assequi potui.) Qui his dignitatibus ornandi essent, canonicorum calculis eligebantur. Canonicatus autem et plurimæ parochiæ erant penes liberam nominationem ca-*

nonici, cujus erant beneficia conferendi vices: omnes enim canonici pro antiquitatis ordine in tabella AD CONFERENDA BENEFICIA inscribebantur; et per eos ita in orbem ibat hæc facultas, ut quodcumque beneficium, sive canonicatus, sive parochia, intra duas unicuique attributas hebdomades vacaret, pro sola sua voluntate conferret: quod insigne et rarum erat privilegium.

50 Perpulchra ecclesia collegiata Falcomontana, imperantibus sacrilegis qui tum rerum potiebantur, oclusa est die xx Novembris anni 1790; et abbatia S. Petri Remensis, quæ a S. Balderico suam similiter repetebat originem, paria fata eodem fere tempore perpessa est. Prædictæ ecclesiæ collegiatiæ imago nulla exstat; item frustra inquirerentur icones quatuor lipsantheocarum, quas argentæ laminæ aliæque ex cupro deaurato ambiabant, et in quibus multo honore servabantur sacræ Reliquiæ ex corpore S. Germani, Antisiodorensis episcopi, et hujus collegiati templi patroni, item ex corpore S. Balderici fundatoris, item ex exuviis S. Alpini, Catalaunensis episcopi, et S. Gereonis Martyris. Omnia hæc pia pignora anno 1793 projecta fuere in imum vetus armarium sacrarum; unde anno 1803 ea collegit R. D. Parochus, ut ea mixtim in capsâ lignea clauderet, cum nesciret ad quem Sanctum unumquodque os pertineret. Præter lipsantheacam S. Balderici, honorabatur ibidem ejusdem Sancti statua, alta metro circiter et dimidio, ex lapide sculpta, et picta variegato colore. Reliquiarum autem iconum sortem tulit, malleorum vim perpessa. Cum capitulum nondum destructum foret, mos invaluerat circumferendæ tribus Rogationum diebus S. Balderici reliquiariæ thecæ. Multa hæc erat solemnitas: sacras exuvias bini portabant canonici, et chorus inferior ecclesiæ collegiatiæ; sed clerus quoque universus tum parœciæ Falcomontanæ, tum subjacentium vicorum, in quibus statio faciendâ erat, frequens comitabatur. Multis in his vicis tum ardor: incolæ omnes cujusque ætatis et sexus avebant ter subire reliquiariam capsam; cui suos libros, rosaria, aliaque hujusmodi, quin immo lintea ad ægrotos deferenda applicabant. Falcomontani cives similimodo suam in S. Baldericum fiduciam probebant, cum sacer supplicantium ordo in ecclesiam collegiatam foret redux. In Vita S. Vitalis, huic

Reliquias,



E

F

51 *Historica monumenta, ita pergit R. D. Radière, nondum signare potuerunt, quæ exeunte superiore sæculo illic contigerunt et quorum ego ocularis testis sum. S. Baldericus, ut ex lectionibus, in ejus Officio recitandis, atque ex Flodoardo eruere est, ecclesiam parœciale, S. Laurentio sacram, sibi in sepulturæ locum delegerat. (Vide Annotatum e ad subjectam Flodoardi narrationem.) Huc delatum est ejus corpus Remis, et in assignato sepulcro conditum, donec canonici, necessitate multiplici compulsi, cum pio hoc onere quoquoersus vagati sint, aliquam tantum partem domum relaturi. Ejus sepulcrum usque servatum fuerat in parœciali S. Laurentii templo; verum anno 1778 vetusta hæc ecclesia destructa est, ut ei nova, eodem fere in loco ædificanda, substitueretur. Sed quoniam ex eo tempore S. Balderici sepulcrum non amplius substernebatur altari, eidem Sancto dicato, curavit capitulum, cujus ipse pars eram, ut hoc sacrum conditorium terra extolleretur; illudque anno 1780 solemnitate multa inter psalmodum cantus transtulit ad novam ecclesiam. Aderam ego ipse;*

sepulcrum,

et



Imp. Brév. Georges Hurstel II. Place St. Andre des Arts. Paris.

Paris V. Palmé

A et perbene mihi conscius sum a me visum hoc sepulcrum, e magno lapide in alveum cavato constans, et capiens reliquias sandaliorum et hujusmodi alia. Instrumentum publicum, quo testata manerent quæcumque tum erant gesta, misere interiit cum reliquis chartis, quæ barbarum tempore in archivio remanserant. Anno 1795 nova ecclesia parœcialis eversa est, et ecclesia collegiata per fas let nefas in parœciam commutata. Remansit S. Balderici sepulcrum eo ipso in loco, quo translatum fuerat et reconditum anno 1780. Habes nunc illic forum publicum.

imagines

52 Ad te mitto ectypum sigilli Falcomontani capituli : cernere in eo est S. Germanum episcopum cum pastorali pedo, et Baldericum monachicæ veste indutum, excidentemque securi arborem cui insidet falco : natum inde est nomen MONSFALCONIS. Eodem modo iidem Sancti depicti sunt in cujusdam sacelli tabula. Medius hic inter eos est S. Laurentius : tres quippe hi Sancti coluntur tamquam patroni ecclesiæ collegiatae, nunc parœcialis. *Atque hic loci memoratum Montisfalconis sigillum, buxo insculptum, imprimendum curavimus; quod unicum monumentum sit, quod de S. Balderico potuerimus reperire.*

B



Monet dein R. D. Radière alia plura, de quibus superius late jam diximus; doletque quod nullum penes se habet catalogum præpositorum, qui, Argonæ archidiaconatu simul ornati, præfuerunt celeberrimo huic capitulo; penes quod oppidi Montisfalconis et septem subjacentium vicorum ditio erat.

et Officium S. Balderici pertinent, recensentur.

53 Officium vero proprium S. Balderici Falcomontanum, ritui Remensi accommodatum, nihil insigne habet; et lectiones, quæ infra Octavam recitanda veniunt, partim ex Flodoardi Remensi Historia, partim e Vita S. Wandregisili et ex quadam de Carolo Magno incerta traditione constata sunt: quocirca eas hic missas facimus. Quæ vero pauca de Vita, plurima vero de miraculis et translationibus S. Balderici ex Flodoardi Historia Remensis Ecclesiæ hic subjicimus, ex tomo XVII Bibliothecæ maximæ Patrum Lugdunensis secundum lectiones Colvenerii desumpta sunt: quæ editio cum satis superque cognita sit, supervacaneum est ut eam pluribus describamus.

C

VITA,

MIRACULA ET TRANSLATIONES S. BALDERICI.

Ex Historia Ecclesiæ Remensis Flodoardi, lib. IV, cap. XXXVIII et sequentibus, edita in Bibliotheca Patrum maxima Lugdunensi secundum recensionem Colvenerii.

CAPUT I.

Sanctus Baldericus Remis exstruit cœnobium puellarum, et in Montisfalconis monasterium virorum.

Plures denique apud nos quondam Sanctorum fuere basilicæ, sed et monasteria infra vel circa Remensem hanc urbem, quæ modo a non haberi probatur. Duo tamen adhuc supersunt infra urbem puellarum monasteria: quorum unum (quod Superius a situ scilicet loci nuncupatur) S. Baldericus presbyter cum sorore sua Bova, ejusdem cœnobii postmodum abbatissa, in honore Sanctæ Mariæ vel Sancti Petri construxisse traditur. Qui regali genere exorti fuisse referuntur, patre scilicet Sigeberto rege, habentes nepotem, nomine Dodam, castissimam puellam, quæ desponsata fuisse fertur cuidam magnati ejusdem regis Sigeberti: quamque præfata ipsius amita Bova instituens ad serviendum Deo, servandamque perpetuo virginitatem, ab amore terreni avertit sponsi. Qui cum sibi adversaretur, sponsam innitens eandem corripere, ascenso equo, dum id conatur quoquo modo adimplere, furente lapsus ab equo, fractis cervicibus, traditur interiisse. Beata denique Doda in castitatis proposito permanens, amitæ suæ in ejusdem monasterii successit regimine. Quæ præceptum quoque immunitatis, quod adhuc apud nos habetur, a principe Pippone eidem postmodum obtinuit fieri cœnobio. Quarum corpora in ecclesia extra muros urbis, ubi primum puellarum fuerat monasterium, tumultata diu quieverunt, donec postmodum, revelationibus quibusdam elevata, et ad hanc novam sunt ecclesiam perlata, ibidemque venerabiliter collocata, continua honorificantur inibi Deo famulantium reverentia puellarum.

2 Sanctus autem Baldericus, post hujus monasterii constructionem, locum quærens, ubi suam quoque constitueret habitationem, in qua collectis secum viris religiosis religiose conversari, Deoque devote ac quiete servire valeret, tandem reperit sibi placitum, quem dicunt Montem falconis locum. Qui locus tunc temporis, inhabitabilis, densis operiebatur silvis, quas ipse succidens, proprio sibi labore condidit habitaculum. Fertur autem avem, quam nuncupamus falconem, præviam et quasi præducem itineris, dum locum illum expeteret, habuisse, quæ loco eidem insederit, ac per triduum illo rediens in loco, ubi nunc habetur altare in honore Sancti Petri Apostoli, sine permutatione resederit. Unde et cœnobium ab hoc eventu sic vocitatum plurimi asserunt. Ubi cum Deo devotius servire cœpisset, nonnulli Deum timentes res suas eidem contulere; sicque collectis secum monachis, cœnobium sub regulari constituit institutione; atque idem sub honore Beati Germani ædificavit monasterium. Quibus patrat, ad sororem suam reversus Remis, ultimum sui cursus ibidem clausit diem, ubi et sepultus tempore non modico requievit.

D

S. Baldericus ex regio genere SS. Bova et Doda Remis exstruit cœnobium

a

b

c

d

E

e

f

g

et alterum sibi in Montisfalconis.

F

h

ANNOTATA.

a Hæc monasteria et basilicæ destructæ fuerint oportet ante annum 948, cum Flodoardus Historiam suam ante hæc tempora scripserit, ut conjiciunt Sirmondus

A mundus et Colvenerius. Confer annotationem Colvenerii ad Flodoardi prologum.

b Colvenerius ad hunc locum hæc scribit: Sirmundus recte notat in margine VEL poni pro ET. Quod et aliis quibusdam locis contingit, præsertim in summaris capitum. Verum, ut sit, æstimo in Commentario prævio num. 22 satis manifestum fuisse factum, ecclesiam B. Mariæ extra muros Remorum fuisse, monasterium vero S. Petri intra muros; cui si aliquando B. Mariæ titulus accessit, id factum sane fuerit, quod, destructo B. Mariæ templo, ejus reditus a Remensibus monialibus adhuc accipiebantur.

c Hic Sigibertus primus hujus nominis est, ut § II Commentarii prævii probatum fuit.

d De SS. Bova et Doda, quæ die xxiv Aprilis Remis coluntur, dixit jam ad hanc diem decessor noster Henschenius.

e Paulisper aliter id explicatur in Vita SS. Bovæ et Dodæ, ut num. 20 monuimus.

f Hic Pippo idem est, qui Pippinus Heristalliensis vulgo nuncupatur, et ab anno 680 in Austrasia dominatus est. Vide num. 31 Commentarii prævii.

B g De monasterii hujus ecclesia, cui B. Maria titulus erat, deque ipso prætenso monasterio dictum est in Commentario prævio num. 22.

h S. Baldericus sepultus fuit in ecclesia S. Mariæ extra Remorum muros, ut num. 34 Commentarii prævii vidimus; sed dein, ut numeris 5 et 34 dictum fuit, ad Remense S. Petri Superioris templum delatum est ejus corpus.

CAPUT II.

Miracula et translationes usque ad finem fere sæculi IX.

Clerici Falcomontenses Remis abripunt S. Balderici corpus;

a

* pignoris

C

b
* alibi Spamulii

* pignore

c

d
* forte condito

e

Processu denique temporis diligentia clerico-
rum, prænotatum ipsius Beati viri monasterium incolementium, ejus est illuc furtim corpus delatum, delusis fraude custodibus, Remis a ablatum. Quos dum insequerentur quidam cives Remenses, eo usque sunt persecuti, donec eos visu quidam deprehenderent. Dumque turbarentur horum adventu sacri latores pignoris *, inter utrosque densa dirimens nebula divinitus creditur illata, qua sequentes obtenebrati, et errore in devia rapti, vestigia præcedentium servare nequiverunt. Evectores autem sacri corporis in nocte splendor superne missus irradiavit, donec ad proximam cœnobio possessionem, quæ dicitur villa b Spanulfi *, infatigabiles pervenerunt. Ubi quia sancta deposuere membra, in honore ipsius postea constructa est ecclesia. Quibus abinde cum sacro promoventibus pignere *, ubi monasterio propinquare cœperunt, ecclesie signa c cœnobii sponte, absque humano scilicet impulsu, sonuisse feruntur. Quod audientes fratres obviam sunt egressi; sicque diu desiderata suscipientes munera, dum in ecclesiam Sancti Germani ea connantur inferre, tanto persentiunt ante ipsius introitum basilicæ defixa pondere, ut hæc nequaquam potuerint ulterius emovere, cum per triduum id enitentes omni gestierint conamine perpetrare. Sic demum tecto d super defixa conditio * membra Confessoris, per triennium illic ita mansisse traduntur.

4 Quo temporis peracto spatio, ad ecclesiam Sancti Laurentii e, ubi vivens ipse sibi sepulchrum paraverat, celebrato per triduum jejuni-

venerabile corpus ejus perlatum, et in suo reverenter est depositum sarcophago; ibique constat venerabili cultu servatum, usque ad tempora Karoli regis, et Hincmari archiepiscopi, quando Nordmanni f hoc cœperunt regnum depopulari. Quorum terrore compulsi, canonici ejusdem loci corpus hujus patroni sui de sepulchro levatum super altare Sancti Laurentii posuerunt. Quod dum fieret, tres guttæ sanguinis de capite ipsius defluerunt, ita recentes et calidæ, ac si de vivente profluerent corpore. Sicque delatum est Viridunum g. Unde relatum, in ecclesia est Sancti Germani locatum. Interim dum suo abesset monasterio, Nordmanni ad id pervenerunt; sed Domino illud protegente, nec ecclesias incendunt, nec homines, nisi unam duntaxat mulierem, occiderunt. Ut autem recesserunt, altaria muneribus suis cummulata dimiserunt. Altera vice dum Nordmanni ad eundem locum rursus accederent, quidam canonicus loci, nomine Otradrus, corpus Sancti accipiens, reliquis fuga dilapsis, ipse cum sacro corpore in quendam ascendit arborem. Quem insecti pagani usque ad ipsam pervenerunt arborem, et respicientes sursum, neminem potuerunt eandem conscendisse deprehendere. Idem vero frater per novem dies inibi permanens, nihilque victus, præter unam solummodo sumens glandem, neque famem, neque sitim passus fuisse memoratur. Iterumque tunc locus idem meritis hujus beati viri a cædibus et incendio paganorum liberatus est. Postea contigit, ut quidam prædones, h regie majestatis infideles, ad eundem devenirent locum, et non inveniētes ibi manum repugnantem sibi, desolatam prædari aggressi sunt locum. Quod dum peragerent, signa ecclesie Sancti Laurentii, nemine pulsante, sonare cœperunt, et duo cerei supero sunt igne divinitus accensi. Prædonibus vero timore perculsis et aufugientibus, unus eorum prolapsus ad ipsam monasterii portam corruit, tamque ipso quam superbo ejus equo ruina contrito, utres quoque, in quibus vinum deferebat ablatum, disrupti sunt. Cæteri hoc videntes, donis ecclesiam muneraverunt, metuque affecti recesserunt.

5 Hujus venerabilis loci canonici, famis quondam necessitate compulsi, sumptis a corpore venerandi patroni sui Reliquiis, ad suam quamdam villam, supra ripam Rheni sitam, cognomento Wasliciam i, quam quidam eorum abbas, nomine Adelardus, eidem contulerat cœnobio, profecti sunt. Ubi dum pagenses, alma venerantes pignora *, sua dona deferre cœpissent, abbas quidam monasterii, quod vocatur Bonna k, pergens ad Willebertum l Coloniensem præsulem, cœpit hanc infamare devotionem, nec re vera Sancti alicujus pignora * illuc adstruens esse delata. Timentes autem canonici, qui advenerant, ne forte constringerentur, et discuterentur ab episcopo, quoniam totum ipsius Sancti corpus secum haberi ferebant, mox ut hæc audissent, sub duobus diebus ad suum per leucas fere centum rediere monasterium: assumptisque cum integritate beati viri membra, sub totidem diebus ad prænotatam remeant villam. Cui dum propinquare cœpissent, eis adhuc ab ipsa villa spatium leucæ fere distantibus, ecclesie signa, nullo impellente, resonare cœpere. At hi, qui remanserant in eodem loco, clerici hoc audientes, et patronum suum advenire intelligentes, obviam cum crucibus pergunt, et honore digno tutorem suum suscipiunt. Quibus missarum solemniam celebrantibus, tria mihi repente mira contigerunt. Con-

D
quod præ
Normanno-
rum metu
atio velunt,
sibi que ad-
versus præ-
dones præsi-
dium habent.

g

E

h

Propter penuriam transferunt illud Wasliciam in diocesi Coloniensi.

* pignora

k

l

* pignora

tractus

A tractus unus erectus, cæcus quidam illuminatus. et loquelam mutus adeptus est. Iterum præfatus abbas blasphemare Dei non cessabat miracula, quos poterat a visitatione Sancti avertere. Quæ dum gereret, febre correptus, ita graviter est vexatus, ut nec manducare, nec bibere, vel incedere posset. Ardoribus autem languoris hujusce coactus *, tandem peccatum suum recognovit, et sella se gestatoria usque ad Rhenum, indeque navigio usque ad prædictam villam, sieque ante corporis almi præsentiam perferri fecit; ibique culpam suam confessus, absolvi se petiit, et quantitatem ceræ sui corporis ponderi coæquans dedit; factisque votis annuatim solvendis, per sex remoratus dies, sanitatem integerrimam recipere meruit, et sic pedibus suis ad sua sanus recessit. Demorantibus hic præfatis per anni spatium cum patrono suo clericis, nulla ut ferunt dies præterit, quo non ibidem Dei miracula patrantur. In ipsius autem vigiliis Sancti Johannis Baptistæ, confluentibus de Saxonia *m* pluribus et a longinquis etiam regionibus, decem et octo insignia probantur ostensa: vixque aliquis eger accessit, qui non sospes alacerque recesserit. Ubi tanta rerum delata est copia, ut et ipsi clerici exinde viverent, et cæteros qui remanserant in monasterio sustentarent, ecclesiamque ipsius villæ amplificarent vel decorarent.

* *alias excocius*

In conventu corporum SS. Balderici, Jovini, Vitoni et Agerici, *n*

B 6 Postea contigit, ut propter aquæ indigentiam foras extra monasterium suum idem sacrum corpus efferretur, et obviam Sancti Jovini *n* pignerebus portaretur. Cujus dum fuisset in occursum perlaturum, mox ut simul venerunt, obnubilato cælo, cum magna siccitas existeret, copiosa pluviarum vis effusa est; et dum humectarentur imbre omnium vestimenta, pallia duntaxat, quæ supra Sanctorum præfatorum ferebantur corpora, penitus intacta manserunt a pluvia. Ibi quidam lucus lumen amissi recepit oculi. Qui statim fugiens, nec Deum glorificans, ut erat jocularis, ingratus recessit: at ubi domum pervenit, lumen quod receperat, iterum perdidit. Dum vero perventum est ad monasterium cum utriusque Sancti corpore, ita Sancti Balderici pignus est aggravatum, ut nullatenus moveri posset, donec Sancti Jovini usque ad cœnobium præcedere membra fecisset. Cum autem domus Dado Viridunensis episcopus *o* hanc a rege impetrasset abbatiam, et hæc mira cœpisset audire, constituit ut omnibus annis trium monasteriorum sacra pignera simul in quemdam medium deferrentur locum, nomine Gaudiacum *p*: de sede scilicet urbis Viridunensis Sanctus Vitonus *q*, et Sanctus Agericus *r*, Sanctus vero Baldericus de monasterio suo, et Sanctus Roduicus *s* de Wasloio *t*. In quo conventu innumera post modum sunt patrata miracula, ut vix præterierit hujusmodi coitio, in qua non aliquis infirmorum fuerit sospitate redintegratus: maxime tamen illi, qui patrocinia Beati Balderici sunt expetere visi. Quodam tali conventu quidam locutus est mutus, quem Viridunenses arripientes secum ducere cœperunt, asserentes quod Sanctorum virtus, quos detulerant, hoc miraculum perpetrasset. Sicque dum separati quique referrentur ad sua, tanto Sancti Balderici pondere aggravata sunt ossa, ut penitus manere viderentur immobilia. Ad quem miraculi stuporem recurrentibus multis, dum quærentur sui, cur inibi vellet immorari, et quid ibidem diserneret operari, accidit ut requireretur ille, qui locutus fuerat mutus. Tandemque revocatus, ubi ad locum defixi perductus est pigneris, mox absque diffi-

cultate sublaturum, et ad suum sacrum corpus gratanter est cœnobium reportatum.

7 Præfatus præsul Dado postquam hanc Sancti Balderici obtinuit abbatiam, res quasdam trans Rhenum, sitas ab Adelardo abbate ad idem dudum monasterium datas, pro villa Gerlani monte *u*, super Mosellam conjacente, mutavit. Ad quam villam dum sancienti sibi causa, proficisci fratres hujus congregationis præcepisset, illi assumentes secum patroni sui domni videlicet Balderici membra, profecti sunt exequi jussa. Qui dum ad villam, quæ Deva *x* dicitur, pervenissent, tanto pondere sancta defixa sunt pignera, ut progredi nequaquam valerent ulterius ea ferentes: initoque consilio, ut ad ecclesiam deferrentur ipsius villæ, sub honore Sancti Martini dicatam, perferendi recipiunt possibilitatem. Quo perlatis pigneribus, ut post orationem ab ecclesia est relatam, iterum Sancti aggravatur corpusculum; mirantibusque cunctis, et quod aliqua inibi Deus pro Sancti sui glorificatione signa vellet ostendere quibusdam ferentibus, si qui adessent forte debiles, est requisitum. Advenientibus autem læsis aliquibus, atque delatis quibusdam, vir quidam claudus erigitur, et fœmina quædam brachiis ab octo annis contracta resolvitur, duæque fœminæ cæcæ sunt illuminatæ, et infans annorum septem mutus loqui cœpit. In quo loco crux ab ipsius villæ hominibus posita est, ubi postea duæ fœminæ lumen oculorum receperunt, et candelæ divinitus accensæ, multique diversis sunt ab infirmitatibus liberati.

AUCTORE FLODOARDO.

et in vico Deva plurima sunt miracula.

u

x

E

ANNOTATA.

a Num. 5 Commentarii prævii docuimus S. Balderici sacras exuvias tum servatas fuisse in monasterio S. Petri Superiori Remensi.

b Villa Spanulfi aut Spamulfi nuncupatur hodie Epinonville; colitur illic etiamnum ut patronus. Vide num. 48 Commentarii prævii.

c Hi signorum sonitus, Reliquiarum aggravationes, etc., apud Remenses et maxime apud Flodoardum tam communia sunt, ut cum Claudio Chastelain non facilem fidem eis adhibendam esse censeamus.

d Flodoardi textum hoc loco corruptum esse, neminem præteribit. In versione gallica anni 1531 hic locus vertitur ac si mere diceretur, Reliquias cooperatas fuisse. Calmetus in Historia Lotharingæ tom. I, col. 466, citat codicem Ms. Montisfalconis, non indicans essetne Ms. Historia, Chronicon aut Vita, etc.: unde hæc citatio aliquantum dubia mihi fit. Porro hæc inde se colligere testatur: Corpus delatum fuisse in Montemfalconis; sepultum in ecclesiæ atrio; et super illud ædificatum esse tectum seu tuguriolum.

e Videat ipse lector an credibile sit duplicem ecclesiam a S. Balderico in monte constructam fuisse. Ecclesia quidem S. Laurentii, de qua hic agitur, populo recipiendo patuit cum Monsfalconis ab aliis quam a monachis habitaretur; verum nulla ex parte liquet, vivente S. Balderico, alios quam suos discipulos incoluisse hunc locum, antea inhabitabilem et densis opertum silvis, quas ipse succidens, proprio sibi labore condidit habitaculum, ut Flodoardus ipse loquitur. Nescio quoque an rejiciendum sit, S. Baldericum sibi ipsi elegisse sepulturam ad ecclesiam seu in atrio ecclesiæ, ut habet Calmetus; quandoquidem hæc ultima ejus voluntas adimpleta non fuisset, quin ulla hujus neglectus probabilis ratio cognoscatur.

f Ad determinandum hujus irruptionis tempus, episcopatus Hincmari, ab anno 845 usque ad annum 882 excurrrens, præsto est, et regnum Caroli Calvi, quod sæpius auctum et mutatum, anno 877 ipsius

morte

A morte cessavit. Spatium itaque temporis sal latum, et quidem vix est unde id constringatur, cum medio saeculo IX Carolum Calvum Normannis repellendis occupatum jam videmus; anno tamen 876 magis formidabiles eorum invasiones factae sunt.

g Quamdiu Viriduni sacra pignora quieverint, non patet: nusquam quippe securitas: nam anno 889, ut ex Annalibus Metensibus et Sigiberti Gemblacensis Chronico ad hunc annum colligo, Viridunum et Tullum eorumque agros depopulati sunt Normanni. Bis meminit Flodoardus ad Montemfalconis Normannos accessisse: prior adventus anno 882 verisimillime assignandus est, quandoquidem ex Annalibus Sambertiniani et Metensibus hoc anno in agrum Remensem irrupisse et ad Axonam a Carlomanno fusi fuisse statuendi sunt; posterior vero adventus anno 889 illigandus fors videbitur; et sane in ipso Montemfalconis victi fuerunt hoc anno Normanni, quam tamen cladem Sambertiniani Annales anno proxime superiori annectunt. Abbo monachus sancti Germani Parisiensis lib. II de bellis Parisiensibus late celebrat hanc cladem, qua eos affecit rex Odo. Fuerunt quidem scriptores plurimi, qui arbitrati sint hanc pugnam in Montemfalconis prope Lutetiam Parisiorum commissam fuisse; ast jam pridem Pater Daniel noster in *Historia Galliae, Dom. Bouquet* alique, variis Chronicis Annalibusque usi, ostenderunt de Montemfalconis Remensi hic agi; de qua universa controversia legendus est D. Du Plessis in Annalibus Parisiensibus et annotatis ad Abbonis poema (a). Annus tamen ille 889 propter episcopatum Williberti, de quo in seq. num. et in nota I fit mentio, eam difficultatem patitur, ut admittere cogamur, vel Flodoardum temporis ordinem hic neglexisse, vel Bunnensia jurgia ad ultima Williberti tempora spectasse, vel utrumque Normannorum adventum de quo Flodoardus, circa annum 882 contigisse.

h S. Hericus in libro de Miraculis S. Germani recitat plures castigationes impactas in vasoribus bonorum Montemfalconis; hujus tamen non meminit.

i De Waslicia vide Commentarii prævii num. 43.

k Bunnam nunc, littera mutata, Bonnam, vocamus; jacet hoc oppidum ad Rhenum inter Coloniam Agrippinæ et Confluentes (Coblentz). De hac abbacia, deinceps ecclesia collegiata facta, hæc ex opere D. Rev. Antonii Binterim de veteri et præsenti diocesi Coloniensi mutuo verba; quæ descripta ab ipso sunt ex synodo Bonnensi anni 1629: Circa annum 310 inter alias plures in vicinia nostra fundatas ecclesias aliam prægrandem etiam SS. Cassio, Mallusio, Florentia et trecentis aliis sub S. Valentino Tongrensi episcopo Bonnæ ædificavit (S. Helena imperatrix) et liberaliter dotavit, fundando ibi insigne monasterium, nunc autem a multis sæculis et quantum colligere licet, circa annum 883 in canonicorum collegium conversum, qui numero 32 præter præpositum et decanum se institutos a S. Helena etiamnum gloriantur.

l In serie episcoporum Coloniensium edita a P. Georgio Kolb Societatis Jesu occurrit Willibertus, XXX inter episcopos, IX inter archiepiscopos Colonienses. Electus est anno 863 et anno 870 consecratus, alios deinde 20 annos gubernaturus.

m Libenter crederem hic non agi de Saxoniam ducali, utpote remotiore, sed de Westphalia, quæ a Saxonibus occidentalibus occupata fuit et ab eis suum accepit nomen.

n De S. Jovino, eremita in agro Pictaviensi, dixit in Opere nostro Henschentus ad I Junii; qua die in abbacia sui nominis illic colebatur.

o Num. 37 Commentarii prævii dictum est, quo tempore Montemfalconis adeptus sit Dado, qui anno 923 obiit.

p Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum (b)

(a) Nouvelles annal. de Paris et poëme d'Abbon, p. 340. — (b) p. 251. — (c) D. Calmet Hist. de Lorraine, t. II, prév. col. cix. — (d) p. 579. — (e) T. XIII, col. 4166 et seqq. — (f) T. II Janua., p. 643, cap. vii, n. 26. — (g) Pro-

unius tantum Gaudiaci, vici in Carnutibus siti, meminit; licet alios multos commemorare potuisset, ut constat ex Dictionario Geographico, etc., Parisiis anno 1804 excuso, ad vocabulum Jouy, quod idem ac Gaudiacus est. Ex hoc itaque statuendum videtur hic agi de loco Jouy, in agro Viridunensi jacente (Département de la Meuse, arrondissement de Verdun, canton de Clermont); nam vetustissimus est hic vicus, ut liquet ex charta Angelrami, episcopi Metensis, qua Gorziensibus monachis dedit villam... sitam in pago Wabrinse, cognominatam Gaudiaco (c); qui pagus certo ad diocesis Viridunensem pertinebat, ut testis est Valesius in citata Notitia (d), ubi plura allegat loca, quæ ex vetustis monumentis jam in pago Wabrinse, in comitatu Scarponinse, jam inter duos torrentes Lotosam et Horontem in pago Wabrinse et comitatu Scarponinse, jam in pago Wabrinse, in comitatu Viridunensi jacere dicuntur. De situ comitatus seu pagi Scarponensis mentio fiet in annotato u.

q S. Vitonus, episcopus Viridunensis, gallice dictus S. Vanne, colitur die IX Novembris.

r S. Agericus, item episcopus Viridunensis, gallice S. Airy, colitur die I Decembris; de hoc et de S. Vitono vide Galliam Christianam (e).

s S. Rodivius, seu Rodingus vel Chraudingus, fundator Bellilocensis monasterii, a Suyskeno nostro illustratus fuit ad diem, qua colitur, XVII Septembris.

t Wasloium idem est ac Belluslocus; quæ nominum commutatio saeculo XI facta est, ut docet Vita S. Popponis abbatis, in Opere nostro ad diem xxv Januarii edita: Abbatiam insuper S. Mauricii, hæc illic leguntur verba (f), Wasloi dictam, cum omnibus ejusdem loci appendiciis ei (Popponi) delegavit (Richardus, abbas Wasloensis)... Qua suscepta, quia eam, quam situs loci juvenilitate sui commendabilem dedit, in officinis, monasteriique brevissimis claustris villescere invenit, funditus monasterium cum adjacentibus illi receptaculis eversum, majori, quam fuerat, elegantia reedificavit, atque pristino nomine mutato, ex honestate sui BELOACUM denominari dicitur.

u Gelani seu Gerlani mons (gallice Gillamont a Calmeto in Historia Lotharingæ (g) dictus) idem est locus, in quo postea saeculo XI exstructum est templum et capitulum seu monasterium S. Laurentii, Deus-Louart (Dieu-Louart) nuncupatum: quæ constant ex Continuatione Historiæ Episcoporum Viridunensium et ex Conradi imperatoris diplomate anni 1028, secum invicem collatis. Continuatio enim illa habet (h): Duo etiam præpositi (Viridunensis et Montemfalconis abbas) apud castellum d'Eilauvarth ecclesiam in honore Sancti Laurentii constituit (seu potius dotavit, cum episcopus Viridunensis Heimo, qui sedit ab anno 988 ad 1024 jam aliquandiu ante id exstruxisset (i)), canonicos ordinavit, ordinatis necessaria disposuit, magnisque operibus cum magno labore et miro decore castrum illud ad effectum usque perduxit. Conradiam autem diploma sic sonat (k): Notum esse omnibus cupimus, quod non interventu ac petitione... Ramberti Viridunensis Ecclesiæ venerabilis episcopi (sedit ab anno 1024 ad 1038 (l)), quoddam monasterium, in honorem Sancti Laurentii Martyris consecratum, situm in loco Gellani montis juxta castrum Deus-Louart, in pago Scarponensi (Sarpoune, Scharpeigne, seu Charpeigne), in comitatu Richiani, ab antecessore suo beatæ memoriæ Heimone a fundamentis constructum... sed quod idem monasterium super proprietatem potestatem sancti Germani de Montemfalconis erat constructum. Ordinatur dein ut compensatio quædam fiat Dudoni, Montemfalconis abbati; scilicet ut persolvant sancti Laurentii clerici

bat., t. II, col. cclv. — (h) Ibidem, col. xiv. — (i) Ibidem, col. cclv. — (k) Ibid., l. c. — (l) Gall. Christi., t. XIII, col. 1185.

A nonam decimarum; verum ut *Viridunensi episcopo ut domino subsint, et episcopo Tullensi ut proprio pastori. Ineunte sæculo XVII unita fuit hæc ecclesia collegiata primatiali Nanceensi, cujus canonici cesserunt usum et dominium illius templis monachis Benedictinis Anglis (a). Jacet vero ad Mosellam, inter Tullum et Metas, infra Mussepontem; ut ex tabulis geographicis Cassini colligimus.*

x *Extra terræ tractum, in quo versamur, alia loca fuisse, quibus nomen Deva fuit, apud Hadrianum Valesium in Notitia Galliarum ad vocabulum Diva videre est. Locus vero, de quo hic agitur, idem mihi est, ac qui nunc Dieue dicitur. Dstat hic sesqui leuca a Viriduno meridie versus; atque hac transcendendum est, cum a Montefalconis ad Castrum Gellani, aut Dieu-Louart pergendum est.*

CAPUT III.

B *Reliqua miracula et translationes S. Balderici usque ad medium fere sæculum x.*

Ad Reliquias S. Balderici, devotas in Gellani monte, quem quis injuste sibi usurpabat,
a
b
c
d
e
* sane pervigiles

Ecclesiam Sancti Romani a, in præfata villa Gellani monte b constructam, dudum Milo c præpositus canonicorum hujus loci ab eis auferrebat: quam dum, Bosone d comite sibi eam redente, recepissent, et Sancti Balderici membra illuc retulissent, audientes multi ad ipsius cœperunt confluere patrocinia. Inter quos duæ cæcæ nobiles fœminæ deductæ sunt, et quædam perlata pauperula omnibus fere membris contracta. Nocte vero vigiliarum Sancti Romani e, dum de more privigiles* in ecclesia celebrarentur excubiæ, subito tantum cœlitus est lumen effusum; ut omnia, quæ fuerant accensa, videretur luminaria superare. Altare tantum, supra quod Sancti erant ossa deposita, densa tegi videbatur nebula, ipsumque sacri pigneris quasi moveri cernebatur gestamen: cum repente una cæcarum primum, moxque altera sese videre proclamant. Tum media jacens contracta, ubi cœpit clamare, auxiliumque Dei et Sancti Balderici deprecari, paulatim resolvitur, primum brachiis, et inde poplitibus, donec erecta stetit in pedibus. Quæ postmodum sana effecta, clericorum stipe hucusque sustentatur. Igitur dum præfato morarentur in loco clerici cum pignere sacro, contigit quadam vespera, cum simul residerent, ut cujusdam* Milonis amici* homo, ebrietate atque furore succensus, cœpisset ad eos dicere, quid ibi facerent, et quare in villam Milonis ingressi fuissent? Quibus respondentibus, quod Sancti Balderici, non Milonis, eadem res essent; illoque contradicente, quod non Balderici, sed Milonis haberentur, comminantibus eum clericis, recessit, et in eminentem villæ contiguum rupem conscendens sese in præceps dedit, sicque attritus jacuit ut mortuus, vel morti videretur proximus: indeque sublatus ante sancti corporis præsentiam est deportatus, ibique tandem se culpabilem reddens* insperate sanatus, et integræ in brevi restitutus est sospitati.

f
g h
9 Item dum nuper ad præmemoratam villam Wasliciam f hujus Sancti membra relata fuissent, quoniam Godefridus g principis Henrici h comes

palatii eandem pervaserat villam, quidam clericorum Sancti Balderici ad eundem Godefridum pro hac causa perrexerunt; et cum nullam dignam potuissent apud eum percipere responsionem, nec magis se pro eis inde quam pro suo cane facturum respondisset, clericus quidam ex his intendendo subiecit, quod calidum proinde sudorem sudaturus esset, nec canis suus adjuturus eum foret. Ille furibundus ad hæc eos a suo præcepto ejici conspectu. Quibus recedentibus ipse mox divina plectitur ultione, validaque correptus febre cœpit gravissime vexari, nimisque succendi ardoribus, atque ferventissimis effluere sudoribus. Mittens igitur ad episcopum Coloniensem Wicfridum i, hunc ad se venire petiit, eisque rem retulit atque id ab eo consilii percepit, ut ad præfatos clericos mitteret, eosque ad se venire faciens, et errata corrigens, ab eis de sua infirmitate consilium et pariter auxilium quæreret. Quod ille obaudiens, et ad eos mittens, ad se venire mandavit. At missus ejus typho, ceu videbatur, inflatus superbiæ, cœpit, ut ad suum dominum, mox clerici pergerent, imperitando præcipere. Quibus renuentibus, sed eum caritatem secum facere rogantibus, ille contempsit, eoque recedente, in ipso egressu equus ejus, incitatus ab ipso, prosiliens ruit, et collo fracto interiit. Sic ille humiliatus ad fratres rediit, caritatem quam spreverat egit, et ita correctus recessit. Hinc iterum tertioque vocati atque petiti, hujus tandem viri compertis incommodis, ad eum tum demum veniunt, patientis compatiantur cruciatibus, et confitentem peccatum suum, emendationemque promittentem, precibus suis absolvere student. At ille statim se melius habere professus, ubi recessere fratres, convaluit, res quas invaserat reddidit, ac deinceps ab earum se læsione continuit. Verum tanta domus ejus affecta clade fuisse perhibetur, ut vix aliqui remanserint, qui eisdem rebus usi fuerant: ipsi etiam equi et canes interiierint, et ipse pervasor, perditis cum cute capillis et unguibus, vix evaserit.

10 Tunc ob infestationem Hungarorum k quæ primitus eo tempore in hoc emergerat regnum, consilio inito, canonici Sancti Balderici Rhenum cum domino suo transmeant. Inde quadam vespera remeantes, in fluminis medio navem jactis defigunt ancoris. Relictisque paucis in navi cum sacro pignere custodibus, ipsi ad prædictam schapha properant suæ possessionis villam. Tres vero quidam latrones, comperto quod pauci resedissent in navi custodes, ibique thesauros vel ornamenta Sancti remansisse rati, conscensa tendunt illo* cymba. Sed antequam pertingerent ad ipsam quam petebant navem, cæcati divinitus, perditoque sensu, remigare non valentes, impetu fluminis ferri cœperunt. Sicque navicula eorum navi, qua* Sancti corpus servabat, impacta contritaque, mediis eos in fluctibus dereliquit. Quorum duobus fluvio mox absorptis, tertius, qui etiam famulus erat Sancti Balderici, jacta manu, navem Sancti arripuit, et taliter evadens mortem, clericorumque perductus in præsentiam, nihil eorum, quæ passus fuerat, edicere valuit, donec in crastinum refocillatus, sensuque recepto, tandem quæ gesta fuerant enarravit. Postquam vero a præfato loco hujus beati viri ad suum monasterium sunt ossa relata, multa inibi feruntur ostensa miracula, quæ præ multitudine non habentur scripta. Illuc nuper l quidam pauper candellam deferens in circulo devolutam, paulo ante horam vespertinam supra loculum sacrorum hanc

ATCTONE FLOBOARDO. et in Wasliciam, ubi debito destituebantur earum bajuli prasidio,

et in flumine Rheno, quem prædones infestabant, miracula et prodigiosa pœnæ cernuntur.

* illic

* quæ

l

(a) D. Calmet, Hist. de Lorr. t. II, col. 180 et seq., et ibid. inter probat., col. cccv et seq.

AUCTORE
FLODOARDO.

posuit ossium; qui dum, data oratione, recederet, subito candela, supero accensa igne, coepit ardere. Quæ donec custos ecclesiæ ad vespertinalia pulsanda venit signa, pallio, cui superjecta jacebat, illæso, deflagavit, nec ullam pallio læsionem, cui adhærebat, aggressit. Multa præterea sanitatum, clarificationumque ibidem creberime ad declaranda Sancti sui merita Dominus ostendere dignatur miracula, ad honorem scilicet ac laudem nominis sui, quod est benedictum in sæcula.

me abbas Jurenensis in Burgundia sit, S. Romani vigilæ in diem xxvii Februarii inciderint oportet.

f Vide Commentarium prævium num. 43 et seq.
g Godefridus, qui hic dicitur principis Henrici comes palatii, signatur Godefredus inter comites (c) qui ex parte Henrici anno 921 interfuerunt concilio Troslejano ad pactum inter Carolum et Henricum reges sancendum.

h Cum Henricus, qui et Auceps cognominatur, hic loci non rex, sed princeps appelletur, nescio an inde concludi possit, id accidisse ante annum 919; quo, ut habent Casus monasterii S. Galli (d) Henricus Saxonum et Francorum consensu elevatur et ungitur in regnum. Quæ deductio si placeat, oportet ut non impedierit ille morbus, quin Godefridus anno 921 concilio Troslejano interesset: et ut tardius ad Wicfridum, Coloniensem antistitem, nuntios miserit, quandoquidem ille Agrippinensibus infulis ornatus est anno 925, ut volunt Gallia Christiana persecutores (e), et Gregorius Kolb in sua Coloniensium præsulum recensione.

i De Wicfrido, qui ab anno 925 usque ad 953 Colonia sedet, vide præcedens annotatum.

k In Chronico S. Vincentii Metensis (f) ad annum 917 leguntur Ungari primitus regnum Lotharii ingressi.

l Plura miracula, ut animadverterit lector, nuper facta perhibentur a Flodoardo; quocirca in memoriam revocare juberit, quæ in annotato a ad 1 caput ex Sirmundo et Colvenerio proposuimus de anno 948, quo Remensis historicus librum suum jam absolvisset.

ANNOTATA.

a Cum ecclesia hæc jam ineunte sæculo xi templo S. Laurentii suppleta videatur (a), colligi nequit quis illie S. Romanus coleretur cum plures sint homonymi. Verisimile tamen est eum abbatem Jurensem esse, cujus Acta vide in Opere nostro ad diem xxviii Februarii.

b Vide annotatum u ad præcedens caput.

c Milo ille, Montisfalconis præpositus, mihi alibi non occurrit.

d Boso, cujus hic meminit Flodoardus, videtur idem ac Boso, Richardi Burgundiæ ducis filius, frater Rodulphi Regis, bene notus annalistæ Remensi; cum in suo Chronico (b) ejus mortem referat ad annum 935.

e Cum hic S. Romanus, ut diximus, versimilli-

(a) D. Bouquet Recueil des Histor. de France, t. VIII, p. 190. — (b) Ibid. — (c) Ibid., t. IX, p. 324. — (d) Ibid.,

p. 90. — (e) T. III, col. 641 et seq. — (f) D. Bouquet, T. IX, p. 88

DE S. MAGNOBODO EPISC. ET CONF.

ANDEGAVI IN GALLIA.

C
J. V. H.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

F

§ I. Sancti memoria; cultus.

CIRCA ANNUM
DCLX.S. Magnobodus, quem
Ado et Usuardus præ-
terunt,

Andegavum, provinciæ olim Andensis, nunc præfecturæ, quæ a Medua et Ligeri fluminibus (Maine-et-Loire) nomen sortitur, plurimos sanctitate et miraculis insignes episcopos habuit: inter quos etiam numerandus venit S. Magnobodus, quem Magnobodum, aut Magnobonum (gallice S. Maimbeuf aut Maimbeu) veteres appellarunt. Hujus Sancti nomen in Romano Martyrologio non occurrit; tacent quoque de illo Ado et Usuardus genuini: quin tamen propterea cultus ejus in dubium vocari possit. Etenim Sanctum nostrum memorat in suis Auctariis ad Usuardum Molanus his verbis: Andegavis, Sancti Magnobodi, episcopi et confessoris, qui tempore Dagoberti vita et signis late claruit. Quæ postrema verba ita intelligenda sunt, ut complexum quidem dicant S. Magnobodum universam Dagoberti I ætatem, sed simul indicent Sanctum episcopum et eundem regem diu præcessisse, atque eidem

longo tempore superstitem fuisse: alioquin ejus erroris Molanus arguendus esset, qui falso insinuat, initium episcopatus S. Magnobodi cum regno Dagoberti innectendum esse, ut infra latius demonstrabitur.

2 Cultum Sancti cæterum probant Kalendaria Ecclesiæ Andegavensis, et duplex Sancti Vita, sæculo, ut tardissime, duodecimo conscripta, uti infra videbimus. Uterque autem biographus ita de S. Magnobodo loquitur, ut illum virtutibus et miraculis insignem, et populorum concursu celebrem describat. Martyrologium Autisiodorensis anni 1751 sequentibus verbis Sancti festum annuntiat: Andegavi, Sancti Magnobodi episcopi, qui Vitam Beati Maurilii decessoris sui scripsit, ut ejus exemplo se suosque ad pietatem vehementius incitaret. Sancti mentionem desumpsit auctor, ut infra in nota dicit, ex Martyrologio Parisiensi et D. Chastelain, et Kalendaris Ecclesiæ Andegavensis. Et reapse.

partis tamen
in Martyro-
logiis et Bré-
viario Andegavensi cele-
bratur.

ut